DE RVDERIBVS
LACONICI CALDARIIQVE
ROMANI

ET

NONNVLLIS ALIIS MONVMENTIS

IN SOLO BVDENSI

PARTIM HOC PRIMVM ANNO M. DCC. LXXVIII. REPERTIS
PARTIM NONDVM VVLGATIS

LIBER VNICVS

AVCTORE

STEPHANO SCHÖNVISNER

Presb. Archid. Strig. AA. LL. & Philoſophiæ Doctore.

In Regia Vniverſitate Budenſi Bibliothecæ Regiæ Cuſtode, Antiquitatum item & Rei Numariæ Profeſſore.

NAPOLI

BVDÆ

TYPIS REGIÆ VNIVERSITATIS.
ANNO VT SVPRA.

Digitized by Google

Quid nunc ſtrata ſolo referam tabulata, crepantes
Auditura pilas? ubi languidus ignis inerrat
Aedibus, & tenuem volvunt hypocauſta vaporem.
Nec ſi Bajanis veniat novus hoſpes ab oris,
Talia deſpiciat.

STATIVS Sylv. L. I. de balneo Etruſci ſub fin.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

S.

De Monumento, quod primum ac præcipuum hujus libri argumentum eſt; egi pro ſuſcepti muneris ratione primum quidem votis, tum precibus etiam, ne illud ab imperitis, vel antiquarum elegantiarum incuriis funditus everteretur: aut ſi forte id impediri nequiret, fas eſſet ſaltem ad Antiquitatum Romanarum theſaurum, quo Eruditi tantopere delectantur, quæpiam ex illo corriuare. Preces demum, ut ut paullo quam optabam ſerius, ad Regium pertigere thronum: quo ſucceſſu? accipe: His AVGVSTA illicet pro incredibili, quo ad promovendas omnium bonarum artium diſciplinas flagrat ſtudio, clementer annuit; Monumentum dirui vetuit; quin immo præclaras has priſci ævi reliquias ſartas tectasque ſervari juſſit, eo nimirum ſapientiſſimo conſilio, ut jam & domeſtici habeant, quo in ſimili argumento, cum uſus locusque tulerit, nervos ſuos contendant, & exteri, dum vi-

a 2 ſen-

ſendi Regni cauſſa iſthuc commeant (commeant enim crebro ac perlibenter) reperiant aliquid in Hungaria, quod in ipſa Italia inventu rarum, ac infrequens ſit.

Neque iſtud ſatis: verum, ne memoratum Monimentum orbem eruditum lateret, Eadem Auguſta Scientiarum Mater præceptum perbenignum addidit, quo videlicet illud non Ephemeridibus tantum infereretur, ſed æri quoque inciſum, opportunisque notis atque explicationibus illuſtratum SIBI offerretur, tum reliquis etiam communicaretur Academiis ab ſe inſtitutis, quo neque his deeſſet occaſio ſuas circa eruditum hoc antiquitatis objectum depromendi opinationes.

Hæc ſunt, quæ hic præterire ſilentio nefas duxi: ut nempe quicquid ceteras inter artes, quas, vel recens invectas, vel nuperrime reſtauratas, ac lætiſſime efflorefcentes intuemur, quicquid inquam ſtudium quoque antiquitatum, cum ſolidæ eruditionis ſtudio tam arcto nexum vinculo, incrementi acceperit, id totum Magnæ THERESIÆ Auguſtæ Principi in acceptis

re-

referri oportere & præſens intelligat ætas, & nulla unquam obliviſcatur poſteritas.

Nec eſt, quod Lectorem præterea in operis hujus limine morari debeam. Nam, quid eo contineatur, & libri, qui præcedit titulus, & capitum qui ſequitur index, affatim edocet. Commendationem autem illi ambire quacunque demum ſeu feſtinatæ operæ, ſeu deficientis eruditæ ſuppellectilis, ſeu raræ hoc in genere exercitationis excuſatione quam ſupervacaneum, tam inutile eſſe arbitror: necquicquam enim (ut recte quidam obſervat) errori venia prætexitur obtentu oblatæ cujuscunque tandem errandi occaſione.

Itaque de tabella unice, quæ primæ paginæ præfigitur, iſtud eſt, quod moneam. Exhibet ea ſitum loci, in quo monumentum, de quo parte priore agimus, repertum eſt. *Numerus* 1. notat primum in illud apertum aditum. *Num.* 2. Villam, de qua in decurſu operis recurret mentio. Tantum eſt, quod præfari habui. Vale. Dabam Budæ Prid. Non. Iun. Anno a partu Virginis M.DCC.LXXVIII.

INDEX CAPITUM

PARS PRIOR

De Ruderibus Laconici Caldariique Romani.

CAPVT I. *De partibus vetuſti Romani ædificii ſub terra reperti* - - - - - - - - - - - - - - pag. 1

§. I. *De pavimentis* - - - - - - - - - - - - - 2

§. II. *De Intercolumnio* - - - - - - - - - - - 14

§. *III. De Præfurnio* - - - - - - - - - - - 27

§. *IV. De Vaporariis* - - - - - - - - - - - 29

§. *V. De parietibus* - - - - - - - - - - - - 32

CAPVT II. *De nexu partium, forma, uſu priſco hujus monumenti* - - - - - - - - - - - - - 34

§. I. *De eodem argumento* - - - - - - - - - - ibid

§. II. *Monumenti hujus cum Laconico ſeu Sudatione Piſana collatio* - - - - - - - - - - - - 39

CAPVT III. *De Laconico, aliisque huic adjungi ſolitis domiciliis* - - - - - - - - - - - - - - 51

§. I. *Laconici definitio* - - - - - - - - - - - ibid

§. II. *De Laconico & concamerata Sudatione* - - 55

§. III. *De Balneo & vaſis miliaribus.* - - - - - 60

§. IV. *De Tepidario* - - - - - - - - - - - - 64

§. V. *De Frigidario* - - - - - - - - - - - - 66

§. VI. *De Elæotheſio* - - - - - - - - - - - - 68

§. VII. *De Hypocauſto* - - - - - - - - - - - 70

CAPVT IV. *De reliquis Balnearum ædificiis ſeu de Thermis veterum* - - - - - - - - - - - - - - 75

§. I. *Digreſſio ad ampliores Thermas* - - - - - ibid

§. II. *De Thermarium fine ac inſtitutis* - - - - - 90

CAPVT V. *Rationes, ob quas Monumentum noſtrum non privati ſed publici cujusdam balnei Romani pars fuiſſe videtur* - - - - - - - - - - - - - - 97

PARS

INDEX CAPITUM

PARS ALTERA

De Nonnullis aliis Monumentis & Inſcriptionibus.

CAPVT I. *De Numo Philippi Rom. Imp. hic reperto* - pag 101

CAPVT II. *De Laterculis, eorumque inſcriptione* - - 107

§. I. *Explicantur vocum compendia, Literis in Laterculo expreſſis contenta* - - - - - - - - 108

§. II. *De aliis duobus Laterculis* - - - - - - - 115

§. III. *De notis Figlinis in genere* - - - - - 118

CAPVT III. *De planta pedis in uno Laterculorum expreſſa, & cohærente illi cavo quodam canaliculo* - - 131

§. I. *Prævia de palmis veterum doctrina* - - - 132

§. II. *Oſtenditur, figura Laterculo impreſſa Palmi maximi, & Semipalmi menſuram exhiberi* - - 142

§. III. *Expenduntur quædam difficultates in eodem argumento* - - - - - - - - - - - - - 152

CAPVT IV. *Inſcriptiones Romanæ, quæ in villa, ruderibus ſupra deſcriptis vicina adſervantur* - - 157

CAPVT V. *Explicatio duorum Saxorum, qui Tab. III. exhibentur.* - - - - - - - - - - - - 167

CAPVT VI. *Aliæ inſcriptiones ejusdem Loci* - - - 174

CAPVT VII. *Adjiciuntur inſcriptiones Romanæ ſuperiori ævo Budæ repertæ* - - - - - - - - - 184

CAPVT VIII. *De tempore, quo Legio II. Adjutrix ad hanc Danubii ripam ſtativa habuerit.* - - - - 190

CAPVT IX. *De titulis & cognominibus Legionis II. adjutricis.* - - - - - - - - - - - - - - - 196

CA-

CAPVT X. *De nomine Municipii, in quo Legionis II. Adjutricis tam diuturna ſtativa erant.* - - - - 206

CAPVT XI. *Expenduntur variæ opiniones de priſco Budæ veteris nomine.* - - - - - - - - - - - - 216

Digitized by Google



PARS PRIOR

De ruderibus Laconici Caldariique Romanorum

CAPUT I.

De partibus vetuſti Romani ædificii ſub terra reperti.

INſignia vetuſtatis monimenta, quæ ſub terra deliteſcunt, caſu ſæpius, quam conſilio detegi, dudum obſervatum eſt, & Rudus hoc noſtrum confirmat.

Inventum eſt illud a Colono, qui foveam calci recipiendæ parabat, in ſuperiore Budæ veteris parte, juxta Villam, quæ a torcularibus nomen habet, atque Excelſæ Cameræ Regiæ

Digitized by Google

juribus obnoxia eſt, III. Non. Febr. hoc videlicet anno, non ſine fauſto Rei Antiquariæ omine, qui revocatæ, immortali AUGUSTÆ MARIÆ THERESIÆ beneficio, ad hanc nobiliſſimam Urbem, Regum veterum ſedem, Univerſarum Scientiarum Academiæ primus eſt.

Partes ejus, quæ refoſſa octo circiter pedum altitudine humo, patuere, ſunt: Pavimenta duo, intercolumnium, præfurnium, vaporaria, parietes. Hæc ſingula nunc, utpote attentione digniſſima deſcribemus, & ex more Antiquariorum nonnullis animadverſionibus illuſtrabimus. Quo facto, ſequentibus dein capitibus, de ipſo partium nexu, de forma ruderis, quale nunc viſitur, de totius ædificii, quale olim fuiſſe exiſtimamus, ſtructura, ac denique de antiquo illius uſu acturi ſumus.

§. I.

De Pavimentis.

Bina hoc in rudere *pavimenta* viſuntur: Unum pilis, ſeu brevibus quibusdam columnis inſiſtit; alterum vero easdem ſuſtentat pilas. Quod ſuperius eſt, illud triplici componitur e ſtrato: primum quod columnis incumbit, effici-

ci-

ciunt lapides excocti, formæ quadratæ, binos pedes longi latique, & ita juncti, ut ſingulorum quatuor anguli ſolidi totidem columnarum attingant capitula, ubi videlicet intercolumnii major eſt denſitas. Lapidibus his impoſita eſt veteris arenati e calce, arena, teſtarumque fragmentis confecti ſpecies. Tertium vero ſtratum, ad aliquam a parietibus diſtantiam, eſt opus artificioſe elaboratum, quale nempe in iis, quæ antiquis *Lithoſtrota* vel *teſſellata* dicebantur, eſſe ſolebat. Conſtat enim exiguis marmoreis teſſeris, ad unguem excifis, & in varios colores tinctis; ſive potius hæ cruſtæ nativi eſſe coloris, ſed ex variis marmorum ſpeciebus deſumptæ videntur. Altitudo quadratulorum unum non excedit digitum, latitudo vero baſium politarum adeo exigua, vix ut digiti menſuram adæquet. Porro particulæ omnes tenaciſſima quadam tectorii ſpecie coagmentantur.

An picturæ in modum horum lapillorum poſitio figuris quibuſdam pavimentum iſthoc non exornet? nihil adhuc, quod certi affirmem, habeo. Pars enim ejuſdem non magna detecta eſt, & hæc a rudi colono illico peſſime

tractata, fruſtatim ferreo ligone diſcerpta, & pro arbitrio ſpectatoribus antiquæ hujus novitatis permiſſa. Ex teſſerulis, quæ mihi obtigerunt, a cetero corpore avulſæ, aliæ rubram, quædam cineream, nonnulli albam eamque politam habent baſim. Atque his paucis interea contenti ſumus teſſerulis, quas ad inceptam Antiquitatum Romanarum in hac Regia Univerſitate collectionem repoſuimus, donec, uti ſpes eſt, poteſtas & ſumptus ad refodiendam cum ceteris monumentis reliquam pavimenti tam nobilis partem ſuppetiverint. Simile pavimentum Anno 1712. in Britannia repertum eſt, & nunc inter alias antiquitatum Romanarum reliquias, ex Britannico ſolo erutas, principem facile locum obtinet. Imaginem illius exhibet Cl. Pitiſcus T. I. *Lexic. Antiquit. Rom.* In area medium occupat Bacchus Leoni cum urceo & thyrſo inſidens. Lapilli quadrati ex hac area deſumpti, ut eos accurate delineatos idem auctor ſeorſim exhibet, ſunt duplo minores iis, quibus margines pavimenti ornantur, ac proinde noſtris prorſus æquales: imo & in coloribus conveniunt; quorum nigri alii, alii rubri, itemque albi quidam,

&

& complures cinerei. Perinde pavimentum illud fortuito detectum eſt: primus enim in illud agricola, aratro in idgenus lapillis adhærente, incidit, prope locum Stunsfield dictum, haud longe a Woodſtock. De noſtro pavimento ſuperiore illud præterea notandum, quod undique decem fere digitorum intervallo a parietibus ſejungatur.

Alterum vero *pavimentum*, quo ſolum, ſive area, ut ſic dicam, pavita eſt, atque conſolidata, & cui pilæ inſiſtunt, primo eandem, quam ſuperius illud, arenati ſpeciem; deín lateres igne percoctos, ſesquipedales habet. Atque hæc eſt pavimentorum recens inventorum accurata, quantum ſcilicet, terra nondum undique rejecta, obſervare licuit, deſcriptio. Nunc, quæ de pavimentis veterum ex optimis colligere potui auctoribus, in gratiam eorum, quibus antiquarum elegantiarum cognitio non diſplicet, adjicere lubet.

Pavimenta, quæ græcis δάπεδον, ζάπεδον, ἔδαφος dicuntur, primi omnium inveniſſe Pœni videntur, qui primi ſcilicet, teſte Iſidoro *a*) vias lapidibus ſtraverunt; in urbibus intellige: nam ex hiſtoricis colligitur, extra urbem a nullo

a) L. XV Orig. c. 15.

alio, præterquam a Romanis id factitatum, tum propter itinerum rectitudinem, tum vero ne plebs otio marceſceret, quod Iſidorus etiam loc. cit. innuit.

Quæ autem ad picturæ imitationem eleganti elaborantur artificio pavimenta, ea Plinio *a*) apud græcos originem habere videntur.

Quod ad Romanos attinet, apud hos *Lithoſtrota* jam ſub Sylla invaleſcebant; en ejusdem Plinii verba *b*): *Lithoſtrota coeptavere jam ſub Sulla parvulis certe cruſtis; extat hodieque, quod in Fortunæ delubro Præneſte fecit.* Fuiſſe autem id genus pavimenta etiam apud Hebræos in uſu, patet vel ex eo, quod apud S. Joan. in Evang. *c*) Λιθοστρωτον judicii locus, in Rabbinorum vero ſcriptis, *cubiculum cæſuræ* dicitur; propter ſectilia nimirum, & cæſi marmoris fruſta, quibus ejus cubiculi pavimentum conſtratum erat.

Lithoſtrota Svetonius latine ſectilia nuncupat, videturque hæc inter ac ſectilia diſcrimen ſtatuere, cum Julium Cæſarem adeo lautitiis elegantiisque addictum fuiſſe ſcribat *d*), ut eum in ipſis adeo expeditionibus *ſectilia* ac *teſſellata* pavi-

a) Hyſt. Natur. L. XXXVI. c. 25.

b) Ibid.

c) Joan. 19. 13.

d) Svet. in Jul.

vimenta circumtuliſſe adfirmet. Hæc nonnulli ita diſtinguunt, ut pavimenta lithoſtrota ſive ſectilia arbitrentur ea fuiſſe, quæ ſectis e diverſi generis & coloris marmorum *non tinctorum* cruſtis exponebantur, quamcunque illæ demum figuram referrent, ſive ſcutularum A), ſive rhomborum, ſive trigonorum, ſive quadratorum, ſive denique favorum B). Contra vero teſſellata pavimenta opinantur ea proprio veteribus dicta fuiſſe ſenſu, quæ parvis teſſeris, id eſt calculis quadratis, vel potius cubulis varios in colores tinctis veſtiebantur.

At Guil. Philander *a*) hæc habet: „Pavimenta, inquit, principio picta fuerunt, poſtea „facta ſunt *lithoſtrota*, id eſt, teſſellatis lapillis „ſtrata, quorum fit mentio apud Varronem de „Re. Ruſt. l. III. c. 1. & Plin. H. N. XXXVI. c. „25. Per ſectilia intelligo ſectas parvas mar„moreas cruſtas in varios interdum colores, „id

a) *in annot. ad Vitruv.* L. VII. c. 1

A) *Scutulæ* ſive parvæ ſcutræ figuram habent rotundam. Scutra enim a græco χύτρα *olla*, vas æneum formæ rotundæ vocabatur antiquis. *Commiſce mulſum*, ait Plautus in Pers. I. 3. *Struthea, coluthea que appara, bene ut in ſcutris concaleant.* Hinc *Scutriſcum* & *Scutula* patella, quæ uti pleræque eſcariæ patinæ rotundæ ſunt. Columellæ vero ac Plinio *Scutula* dicitur pars corticis ſcutulari figura.

B) *Favus* hic figuram hexagonam ſignificat.

„ id eſt, opus Amuſſeatum, ſive Muſivum, ut „ Spartianus *in Peſcennio*; nos *Moſaicum* vocamus. „ Longe aliter Bernardus Baldus Urbinas, Guaſtallæ Abbas ſentit *a*) „ Ego, ait, „ contra, teſſeras puto ad Muſivum opus pertinere; ſectilia vero ſecti marmoris eſſe quadrata grandia. Certe Latinis teſſera eſt „ forma cubica, *Dadum* dicimus nos, unde „ opus ipſum ideo Teſſellatum dicitur, quod „ ejuscemodi lapillis ſit compactum, ut Romæ videre eſt in vetuſtis Eccleſiarum pavimentis, & Venetiis intemplo auguſtiſſimo D. „ Marci. „

a) *in Verbor. Vitruv. Signif. v. Teſſera*

Ceterum pavimentorum, arte factorum, varia occurrunt apud priſcos nomina: ita e. gr. dicitur pavimentum Aſaroton, Ceroſtroton, Muſivum vel de Muſivo pictum, quod paullo ante ex Philandro commemoravimus, ſegmentatum &c.

Aſaroti meminit Plinius hiſce verbis *b*): *Celeberrimus fuit in hoc genere* (pavimenti nimirum picturæ ratione varias in formæ elaborati) *Soſus, qui Pergami ſtatuit, quem vocant Aſaroton Oecon, quoniam purgamenta coenæ in pavimento, quæque everri ſolent, velut relicta fecit*

b) *H. N. XXXVI. c. 25.*

cit

cit parvis e teſtulis, tinctisque varios in colores. Grapaldus pro Soſo Zenodorum ponit, qui pavimentum illud fecerit Pergami, in quo cum aliis quibusdam imaginibus, reliquias cœnæ pinxit, & οἶκον ἀσάρωτον appellavit, non quod eſſet impurgatum, ſed quod tale videretur.

Aſaroti hujuscemodi meminit quoque Papinius, Statius *a*) dum ita canit: *a) Sylv.*

Dum vagor adſpectu, viſusque per omnia duco, *I. v. 52.*
Calcabam nec opinus opes: nam Splendor ab alto
Defluus, & nitidum referentes aera teſtæ
Monſtravere ſolum: varias ubi picta per artes
Gaudet humus, ſuberantque novis Aſarota figuris.

Ceroſtrotum adpellabatur illud pavimenti genus, quod ramentis ac teſſellis varii coloris, & vermiculati, *ligno* inſertis compoſitum erat. Ita Gutherius *b*) & Philander ad Vitruv. l. IV. Paullo aliter deſcribunt alii apud Pitiſcum *c*): ajunt enim Ceroſtrotum lapideæ aut teſtaceæ formæ non fuiſſe, ſed e ſchidiis ſive aſſulis fieri conſueviſſe, quæ cum cornibus pictis & adaptatis conjungebantur, digerebanturque in certas effigies, prout artifici hujus

b) De jure Man. l. II. c. 29.

c) Lex. antiq. Rom.

operis ſegmentati arridebat. Plinius denique a) ad pavimenti ceroſtroti genus etiam cornua in laminas ſecta adhibita fuiſſe teſtatur. *Apud nos cornua*, inquit, *in laminas ſecta translucent, atque lumen incluſum latius fundunt; multasque alias ad delicias conferuntur, nunc tincta, nunc ſublita, nunc quæ Ceroſtrota picturæ genere dicuntur.*

a) H. N. XI. 37.

Muſivum ſeu *Muſaicum*, gallis *à la moſaique* e ſegmentis arte pictis confiebat, vel potius erat opus vermiculatum e teſſellis marmoreis varii coloris in homines, animantia, plantas, ceterasque rerum formas effictum.

Segmentatum autem priſcis Romanis ſenſu preſſo illud vocabatur opus, quod nunc idiomate Francico *en marqueterie* adpellatur; fiebatque e ſegmentis non arte pictis, verum *ſui coloris nativi*, quæ proinde ex diverſis marmoribus & lapidibus rarioribus, ut albo, nigro, undulato, vermiculato, maculoſo marmore, ex jaſpide, porphyrite &c. exciſa fuere: quæ longum foret enumerare, cum per naturæ luſum mirifice varientur lapidum colores ac proprietates, ut rurſus ex Plinio b) diſcere licet.

b) H. N. XXXVI. 5. & ſeqq.

Segmen-

Segmentata hæc paſſim confundi videas apud Scriptorum vulgus cum operibus Muſivis ſeu Muſaicis. Complures tamen negant pavimenta proprie dici poſſe *Muſiva*, cujuscunque demum ſint operis aut artificii, verum aut ſectilia, aut *lithoſtrota*, aut *teſſellata* &c. veterum exemplo adpellari debere: *Muſivi* autem vel de *Muſivo picti* nomen cameris tantum & abſidibus, trullis, aliisque pendentibus competere, ut ut idem in his, & in pavimento labor adpareat. Et vero Cedrenus hanc differentiam prorſus religioſe obſervat: eodem enim opere pavimenta, parietes, & cameras cum decoratas videret, tamen πάτωσιν, quod in ſolo poſitum fuit; ὀρθομαρμάρωσιν quod in parietibus; in cameris vero & pendentibus μουσίωσιν vocat.

Qui plures pavimentorum apud antiquos uſitatorum formas cognoſcere, ac nomina intelligere cupit, is conſulat doctiſſimos Nicolai Bergierii *de publicis & militaribus Imperii Romani viis* commentarios, itemque videat Chr. Henr. Henninii ad ejusdem Bergierii libros Notas; ſimiliter in Kircherii, Villalpandi, Danielis Barbari, Balbi operibus non pauca,

quæ huc pertinent, reperiet. Incredibilis enim Romanorum fuit hoc in genere magnificentia. *Pavimenta ipſa*, inquit Apulejus *a*) *lapide pretioſo cæſim deminuto in varia picturæ genera diſcriminantur. Vehementer iterum ac ſæpius beatos illos, qui ſuper gemmas & monilia calcant.* Plinii autem ſunt verba: *b*) *Jam quidem & auro, nec tantum ut parietes toti operiantur; verum interraſo marmore, vermiculatis ad effigies rerum & animalium cruſtis. Non placent jam abaci, nec ſpatia montis in cubiculo deliteſcentia; coepimus & lapidem pingere. Hoc Claudii principatu inventum.* En præter deſcriptam magnificentiam, etiam ſimul inſinuata operis proprie *Muſaici* apud Romanos initia, ſub Claudio nempe Imperatore, qui regnare cœpit anno æræ vulgaris 41. deſiit 54. Quod ſi *Muſaicum* laborem illum potius, qui componitur e lapillis nativi ſui coloris, eſſe opinaris, hic apud Romanos cum Lithoſtrotis, teſte Plinio ſeniore, jam ſub Sulla cœptavit.

a) Met. V. p. 142.

b) H. N. LXXXIV Cap. I.

Pretioſis id genus pavimentis non modo Fana, ædesque potentiorum adornabantur, ſed pleraque etiam ædificia publica, ut theatra, porticus, *balneæ*; imo & ſepulcra; ut

patet

patet ex compluribus inſcriptionibus, quarum quæ breviſſima eſt, Romæ repertam ex Gutherio profero:

EGNATIÆ. PELAGIÆ.
P. CORNELIUS. ASCLEPIADES.
MARITUS.
ARAM. ET. PAVIMENTUM.
FECIT.

Recte enim idem Gutherius *a*) obſervat: quoties in veterum inſcriptionibus legitur: PAVIMENTUM FECIT. intelligi aut Lithoſtroton, aut Ceroſtroton, certe pretioſum aliquod oportere.

a) de Jure Man.

In *Balneis* vero, atteſtante Seneca *b*) *eo perventum erat deliciarum* in ſternendis pavimentis, *ut quidam nihil niſi gemmas calcare voluerint*. Senecæ adſtipulatur Plinius de Agrippa loquens: *c*) *In thermis*, ait, *quas Romæ fecit*, *figlinum* (Baccius legit ſigninum A)) *opus encauſto pinxit*, *in reliquis albaria adornavit*: *non du-*

b) l. XIII. ep. 87.

c) *H. N.* L. XXXIII c. 12.

A) Qualia ſint pavimenta Signina, docet Plin. L. XXXV. c. 2. H. N. *Quid non excogitavit ars? fractis enim teſtis utendo, ſic ut firmius durent, tuſis calce addita, quæ vocant ſiguina, quo genere etiam pavimenta excogitavit.* Opus ergo ſigninum dicebatur, quod e tuſis teſtis addita calce fiebat. Nomen autem ex eo eſt, quod optimæ notæ teſtæ apud *ſigninos* Italiæ cives eſſent.

dubie vitreas facturus cameras, ſi prius inventum id fuiſſet. Alio autem loco refert, viſas a ſe balineas gemmis ac argento ſtratas, ut ne veſtigio quidem locus eſſet.

§. II.

De Intercolumnio.

Denſum, at breve intercolumnium duo memorata pavimenta intercipit. Conſtabat id pilis, primo inventionis die, ducentis omnino & ſeptem ſupra nonaginta; dein quotidie fere paucioribus, quippe a loci incolis numerus earum ſenſim diminuebatur. Idem lithoſtroto factum, quod miſere diſcerpebatur, quacunque ſui parte poſt tot ſeculorum tenebras lucem reſpexit. Pilarum duo hic viſuntur genera: unum e ſolido ſaxo forma rotunda, quales græcis κίονες aut στῦλοι adpellantur: alterum earum, quæ iisdem στῆλαι: (*ſtellas lapideas* vocat Plinius, *a*) forma nempe quadrata; ſed hæ opere lateritio iſthic ſunt conſtructæ. Saxeæ ac rotundæ initio CXCII. numerabantur; e quadratis autem iisque lateritiis CV. Rotundarum ſeries primæ occurrunt ad Auſtrum, qua nunc unice ad monumentum aditus patet; quadra-

a) H. N. L. VI. c. 28.

dratæ vero Boream ac Danubium verſus excurrunt. Altitudo non ubique eadem, nec enim poteſt, tum ob ſuperiorem teſtudinem, tum quia ſolum, cui inſiſtunt, nonnihil a medio inclinatum adparet. Exiguum tamen altitudinis diſcrimen obſervatur, cum & ſupernæ teſtudinis concavitas, & ſoli convexitas admodum parva ſit, multumque ad planum accedat. Vix igitur ad ſeſtertium pedem pleræque, non additis ſcilicet baſibus & capitulis, adſurgunt. Robuſtæ tamen ſunt, ut eſſe ſolent irregulares id genus columnæ, quas Architecti ruſticas nominant; ferendis enim oneribus pares eſſe debent.

Adeo autem hæ pilæ denſantur in hoc monumento, vix ut ſesquialtero pede altera ab altera diſtet, accepta licet ab earum diametris diſtantia: paullo laxius tamen quibusdam in locis ſtare obſervantur, ſic ut unum nonnihil commodiorem tranſitum ab ore cujusdam præfurnii, de quo deinceps, & quod meridiei obvertitur, ad alterum fere monumenti hujus extremum præbeat: imo ex hac veluti ſemita alter quidam etiam verſus medium quaſi locum, eumque tanto fere intervallo vacuum, quantum

tum quatuor id genus pilæ occuparent, acceſſus tantillum commodior aperitur. Locum hunc, cujus nunc meminimus, ſtipant binæ ſaxeæ tabulæ (vide *Tab.* I. *fig.* 1.) quadratæ ac erectæ; ibidemque oppoſitus fornix ac pavimentum ſuperius nobis pertuſum eſſe videtur, quod tamen accurate explorare nequivimus, datane opera, an caſu & pondere incumbentis terræ id factum; deciduam enim terram vidimus, quæ nos a propiore acceſſu deterruit. Ab ortu quoque ad occaſum ſeries una columnarum quaſi cryptoporticum format; ſed & hanc anguſtam ſatis, & æque humilem ac ſunt reliquæ. Porro quæ reſtant adhuc, dum ſcribimus, columnæ ſaxeæ rotundæ, eæ quoddam quaſi parallelogrammum efficiunt, cujus baſim earum XIII. (in una tamen ſerie hic numerus unitate auctus eſt) altitudinem vero XV. conſtituunt, præterquam ubi ſeries ipſarum dictis tabulis ſaxeis interrumpitur. Ab hoc autem ſpatio incipiunt continuo ſeries pilarum quadratarum, quæ in iisdem lineis rectis Boream verſus excurrunt ea lege, ut utrinque ad latera numerus pilarum decreſcat; quo fit ut extremitas altera in arcum vel potius in quatuor angulos deſinat.

Vide

Vide monumenti hujus Ichnographiam T. I. fig. 1. quam ab erudito Domino FERDINANDO de PICHLER Rei Nauticæ Geometra Regio cum interſectione orthographica ex apographo curatiſſime, quantum ſcilicet ſub terra explorari potuit, delineatam æri incidi curavimus.

Atque hæc eſt forma intercolumnii noſtri e pilis unam, eamque majorem partem rotundis & ſaxeis, alteram quadratis iisque lateritio opere, compoſiti.

Pilæ id genus non medii duntaxat ordinis hominibus, verum Principibus etiam, imo Imperatorum uxoribus pro *ſepulcris* fuerunt. Sunt autem pilæ, incertæ, ac irregulares columnæ ſic dictæ, quod non habeant certum ex illis quinque architectonicis ordinem, cum ſint nimis breves, craſſæ, & amplæ.

Et vero venit in mentem diſpicere, an non præſens monumentum ſepulcrum Romanorum eſſet? nam & in ſepulcro Pacuvii Poetæ antiquiſſimi Romæ viſitur denſa illa prioris ſpeciei columna; & ex antiquis inſcriptionibus conſtat, pilas pro ſepulcris frequenter adhibitas una cum cippis. Unam hic longe pulcherimam e Jac. Gutherio de jure Manium *a*) referre-

a) *de jure Man. l. II. c.* 23.

ferre placet, quæ Tibure inventa eſt, & ſic habet:

VALERIA. ATHENAIS.
FECIT. MODIÆ. T. F. PAULINÆ.
PIIssIMÆ.
ET. SIBI. SUIS. POSTERISQUE EORUM.
VIX. ANN.
XIII, M. XI. HUNC LOCUM. UTI.
ME. VIVA. DE
TERMINAVI. CUM. ASCENSU. GRA
DUUM. VII. COL
LIG. IN. CIR.
CUITU. P. CCCXXX. ET. AB. INTROI
TU. POR •
TÆ. SUPERIORIS. DISCENSUS. DEX
TERIORIS.
PARTE. USQUE. AT. CIPPUM. III.
CUM. TABER
NA. VIA. LATA. A. PARIETE. P. V.
CEDERE. DE
BEBIT. ET. PILAS. STRUCTILES. II.
USQUE AD
IANUAM. SUPERIOREM. HYPAMPE
LUS. HUIC.
CEDAT. IN. RIGOREM. MACERIÆ

ET.

ET. FUR

CARUM. ET. ARA. IN. QUA

FVR. CEPEM.

En pro hoc ſepulcro Cippos, Pilas ſtructiles, cum rigore Maceriæ, & Furcarum, & Ara.

Verum ne hic pariter ſepulcrum fuiſſe crederem, multa obſtabant. Tota enim interior forma non Hypogæo, ſed hypocauſto ſimilis eſt. Nullæ hic arcæ ſepulcrales, nulli ſarcophagi, nullæ urnæ, nihil oſſium humanorum: ignis autem hic olim ſuccenſi manifeſta veſtigia, fuliginem & columnarum & vaporariorum, præfurnium: imo & non modicam paſſim inter columnas prope parietes, ac circa medium, Cinerum copiam videre eſt. Ad hæc in ſepulcris tam longo latoque intervallo conſtructis (hoc enim intercolumnium ad 43. pedes in longum, in latum vero 26. ſeſe porrigit) loculi in parietibus ad reponendos ſarcophagos eſſe conſueverunt, quorum nullus omnino in monumento noſtro inveniri poteſt; imo adeo pilæ conſtipatæ ſunt, nullum ut omnino vel mediocri ſarcophago inferendo ſpatium relinquant. Accedit, quod veterum ſepulcra ple-

rumque infra colles, publicisque in viis excitari conſueverint.

Incidit, multa fuiſſe ab Romanis ædificata *caſtella* ob aquas præciſe deducendas, quæ itidem pilis compluribus fulciebantur. Et vero coloniam illam, quæcunque demum hanc plagam olim inſederint, ſuos aquæductus habuiſſe non uno in loco adparet; quin ex Marſigliana *a*) ac Beliana *b*) Budæ veteris deſcriptione id prorſus manifeſtum eſt.

a) *in opere Danub. T. II. p.* 3.

b) *Not. Hung. T. III. p.* 181.

Sed nondum fiſtularum vel ſiphonum, quæ in hujuscemodi caſtellis eſſe ſolebant, quidquam hic repertum: ipſe locus præterea ſiccus eſt. Et nixum pilis lithoſtroton perſpicue indicat, ædificium his pilis ſuperſtructum, aliis omnino uſibus deſtinatum fuiſſe: ut taceam de aliis monimenti hujus partibus, quarum jam ſupra memini, quæ nec aquagiis, neque caſtellis aquæ ductuum ulla ratione conveniebant; ut ut occultos aquarum meatus ad ſuperiorem hujus ædificii partem aliquam, quæ adhuc humo tegitur, eſſe potuiſſe non diffiteor, imo fuiſſe ſuſpicor, cujus rationem ſuo loco dabo; verum intra colu-

lumnas aquarum fuiſſe fluxum, ut credas; ignis veſtigia, fuligo, cineres &c. non ſinunt.

Porticus quoque Romanorum multis ornabantur columnis: unde Juvenalis *a*) a) Sat. I. v. 12.

Frontonis platani, convulſaque marmora clamant,
Semper & aſſiduo ruptæ lectore columnæ.

Et Capitolinus in Gordiano: *Inſtituerat*, inquit, *porticum, cujus medium lithoſtrotum brevibus columnis altrinſecus poſitis, & ſigillis* A) *per pedes mille.*

At enim noſtrarum columnarum longe alium fuiſſe uſum, quam ut porticum hic efficerent, aut ornarent, vel primo patet intuitu. Fulcrorum enim hic ſolummodo vicem ſubeunt, ſuntque & humiles & ſtipatæ adeo, ut inter eas repere vix poſſis, nedum commode ambulare. Eadem de cauſſa nec periſtylio certe formando idoneæ fuerunt, quale conſvevit eſſe in atriis ante magnatum ædes, & principum palatia (Gordianorum domum ducentas columnas uno ſtylo habuiſſe narrat Capitolinus)

A) *Sigilla* hoc loco ſignificant parva ſigna & ſtatuas in ſuis ædiculis poſitas, *Nichias* aliter dicimus. Eadem & *Sigillaria*, & *Sigilliola* veteribus vocantur.

quale olim circa thermas ac balneas publicas, atque ante fores omnium fere templorum fuit.

Quid igitur? quis hujus intercolumnii fuerit uſus? Intercolumniis hujuſmodi ſtructa erant majora hypocauſta Veterum, quibus nitebatur Laconicum cum pluribus balnearum domiciliis. Id in Laconico Piſano, quod ſub ruinis veterum balnearum anno M. D. XLVIII. detectum doctiſſimus Antiquarius Franc. Robortellus Utinenſis eruditis literis illuſtravit, obſervatum erat. Præterea ex Baccio, aliisque paſſim antiquitatum peritis certum eſt denſa intercolumnia fuiſſe in hypocauſtis Laconicorum & Caldariorum. Et ſunt non pauci eruditi, ut ipſe Baccius, Robortellus, aliique qui pilas intercolumnii hujuſmodi intelligi debere volunt, dum Statius de balneo Etruſci loquens *a*) ait:

Quid nunc ſtrata ſolo referam tabulata crepantes
Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat
Aedibus, & tenuem volvunt hypocauſta vaporem.

a) Sylv. I. in balneo Etruſci.

Similiter illa Vitruvii l. v. *Suſpenſuræ caldariorum ita ſunt faciendæ, ut primum ſeſquipedalibus tegulis ſolum ſternatur inclinatum ad hypocauſtum,*

uti

uti pila quum immittatur, non poſſit intus reſiſtere. Perperam tamen: Nam contextus ipſe, ſenſusque integer clare profecto oſtendit, his locis pilarum vocabulo non columnas breves, ſed ſphæras quasdam glomosque ſignificari, qui pice illiti in hypocauſta ad ſuſcitandum ignem, ſicubi forte reſtingui inciperet, idonei immittebantur. Primum, quantum ſcio, ea res Cœlium Rhodiginum advertit; *a*) quamvis ratio ab eo allata infirma, ne dicam nullius roboris eſt. A) Quæ igitur tibi ratio eſt, inquies, cur hujus potius, quam illorum ſententiæ ſubſcribas? Hæc nimirum: quia ſpectato verborum ſive Statii ſive Victruvii, uti dixeram, contextu, fieri nequit, ut his locis pilarum nomine columnæ intelligantur. Atque, quod

a) Lect. Antiq. L. XXX. c. 19.

A) *Ibid.* Utitur enim his & Statii verſibus & Vitruvii verbis ad probandum: quod nomine *Pelicrepi*, vel potius *Pilicrepi* Seneca intelligat eum in balneis ſervum, qui pilas, hoc eſt glomos aut ſphæras pice illitas in ignem balneorum ſive vaporarii conjicere ſolebat, ſicubi forte reſtingueretur. At de Pilicrepo etiamnum obſcurum manet, an non potius eum ſervum in balneis intelligat, qui pro mercede pilos evellebat cum crepitu forficularum, aut alius inſtrumenti. Certe in Baſileenſi Senecæ editione, quam Eraſmus Roterodamus adornavit anno 1537. lego L. VIII. epiſt. 57. *Si vero pellicrepus ſupervenerit, & numerare cœperit pilos, actum eſt. Pilos*, inquam lego, non pilas, ut Rhodiginus, & *pellicrepus;* non *pilicrepus.*

quod ad Statium attinet, ſi citatis verſibus nomine pilarum crepantium columnas ipſas, atque fulcra crepantia intellexiſſet, credibile non eſt, dicturum eum fuiſſe, *ubi languidus*, verum potius *ubi vividus ignis inerrat ædibus;* nec *ubi tenuem*, ſed ubi *denſum volvunt hypocauſta vaporem*: id enim ex ratione phyſica certum eſt, non ubi tenuiter ardet, ac prope extinguitur ignis, ſed ubi fortiter ſeſe inſinuat in corpora, aëremque ex illis violentus expellit, ibi ſcintillas abrumpere, ibi majores cieri atque audiri flammarum crepitus. Hæc difficultas ceſſat, ſi pilæ hoc loco ſphæras, ſeu glomos pice illitos ſignificant. Pilæ enim id genus languido igni injectæ inſtar pabuli, & crepitum edebant, & ipſum ubi reſtingui prius videbatur, ignem animabant. Sed quid multis? pila utique, quum pro fulcro vel columna ponitur, primam apud omnes probioris notæ auctores productam habet ſyllabam: ſic legimus in Virgilio: *a*)

Qualis in Euboico Bajarum littore quondam
Saxea pila cadit, magnis quam molibus ante
Conſtructam jaciunt ponto.

a) *Aeneid.* IX. v. 709.

Sic

Sic apud Martialem. *a*) *a*) L. XIV. epigr. 45.

Nulla catenatis pila eſt præcincta catenis.

Neque corripitur, niſi cum globum aut Sphæram ſignificat; ut apud eundem Martialem. *b*) *b*) L. VII epigr. 60.

Hæc quæ difficilis tumet paganica pluma,

Folle minus laxa eſt, & minus arcta pila.

Cum igitur Papinius Statius dicat:

. . . . *crepantes*

Auditura pilas.

Quis non miretur tot viros eruditos tamdiu diſceptare potuiſſe: eſſentne hoc loco, pilarum vocabulo fulcra & columnæ, an globi potius ac Sphæræ intelligendæ?

Nec minus apud Vitruvium loco citato certum mihi adparet, de pila ibi ut Sphæra ſeu glomo pice illito ſermonem eſſe, non vero de columna. Cur enim adderet: *ne pila reſiſtat, ſed redeat ad præfurnium, quo ipſa per ſe flamma facilius pervagetur ſub ſuſpenſione?* Pilam hic ſane mobilem vult intelligi Vitruvius, quæ ſcilicet ubi flammæ pabulum reliquit pice, qua illinebatur, accenſa & reſoluta, redire tandem poſſet ad præfurnium; qualis profecto pila fixa, ſeu fulcrum aut columna neutiquam eſſet.

Verum quorſum hæc tam longa digreſſio? quid hæc ad monumentum noſtrum faciunt? Oſtendendum erat ſcilicet, dubiis auctorum locis opus non eſſe, ubi rem quampiam ex ipſis monumentis ita ſe habere, probare ac evincere poſſis. Cum enim in iis, quæ hactenus reperta ſunt, (quamvis pauca ea ſint) Romanorum Laconicorum, Caldariorumque hypocauſtis, in Piſano nimirum, & in eo quod Baccius vidit, atque hoc demum Budenſi, idgenus pilarum intercolumnia inveniantur, ſatis liquet, interco umnia in hujusmodi ædificiis uſitata fuiſſe veteribus Romanis, ſive quid ſcribant de iis coævi ſcriptores, ſive rem hanc totam, velut ætate ſua notiſſimam, nullo, ut ſæpe ſolent, ad poſteros reſpectu habito, prætermittant. Atque hinc, opinor, ſimul non obſcure colligi poteſt, quanti non ad eruditionem modo, verum ad rite intelligenda etiam, imo ſæpe ſupplenda Veterum ſcripta, valeant Antiquitatum Romanarum Monumenta. Itaque proſequamur reliqua.

§. III.

§. III.

De Præfurnio.

Præfurnii nomine hic intelligo atriolum quoddam, quod in pertuſo ad auſtrum pariete, deſcendentibus nunc ad monumentum, occurrit primum. A) Eſt hæc quædam quaſi cella, & quidem hujusmodi, qualis olim concameratæ Sudationi & Laconicis connexa eſſe ſolebat, in quam ex altera cella vaporaria ſeu ex hypocauſto, cum ibi minuere ignem vellent, prunas deferebant, ſuffocabantque, unde & camera ſuffocatoria, & græco vocabulo *Propigneum* dicebatur. Eſt ea in monumento noſtro ſeptem circiter pedes longa, alta non fere plus ac ſesquitertium pedem, ac totidem in ima parte lata, opere arcuato ac tegulis ſesquipedalibus concamerata.

Per hanc patebat balnearum ſervis, qui *fornacatores* antiquis dicebantur, ad hypocauſtum aditus, cumque hypocauſtum quædam reapſe

A) Nupertime hujus præfurnii aditum luto, atque arena præcluſum obſervaveram; impetrari enim necdum potuit, ut pars monumenti aperta protegeretur ab imbribus.

Furni ſpecies fuerit, non congrue atriolum, per quod illuc ingrediendum fuerat, *præfurnii* (quaſi dicas os patens furni) nomen obtinuit.

Furni porro adpellationem non illi duntaxat loco, in quo panes a piſtoribus immiſſi decoquuntur, verum cuilibet alteri, qui ſuccendendo igni, fovendoque calori deſtinatus eſt, rite attribui poſſe, patet e priſcis auctoribus. Hinc apud Horatium leges *a*) - - - - *Nec qui*
Frigus collegit, furnos & balnea laudat.
& apud Juvenalem *b*) - - - *Cum jam celebres,*
notique Poetæ
Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentarent.

a) L. I. epiſt. 11.

b) Sat. VIII. 3.

Ipſius autem *præfurnii* nomen Vitruvius (cujus maxima hoc in genere auctoritas eſſe debet) diſerte habet, dum ait *c*) : *Suſpenſuræ caldariorum ita ſunt faciendæ, uti primum ſesquipedalibus tegulis ſolum ſternatur inclinatum ad hypocauſtum, uti pila cum immittatur, non poſſit reſiſtere, ſed rurſus redeat ad præfurnium.*

c) L. V. c. 10.

Simile *præfurnium* Cl. Franc. Robortellus *d*) in ruderibus Laconici Piſani (de quo deinceps frequentius recurret mentio) ſe conſpexiſſe teſtatur, quamvis quale illud fuerit, haud-

d) in epiſt. ad Lotih. de ſudat. Piſ.

qua-

quaquam ea, qua oportebat, accuratione deſcribit. Ad Latera *præfurnii* balneatorum, & fornacatorum habitacula in publicis balneis fuiſſe videntur ſecundum deſcriptionem Baccianam, de qua infra Cap. IV.

§. IV.

De Vaporariis.

Inter pavimentum ſuperius, quod Lithoſtroton adpellavimus, ac parietem monumenti noſtri adſurgunt teſtacei quidam alveoli, iique undiquaque frequentes! qui ad ſolum usque non pertingunt, ſed paullo elevatiores ſunt: quemadmodum enim ex fuligine ipſa conjici poteſt, per eos calor, ſeu vapores calidi ab ſuccenſo infra cameram igne ſupra pavimentum, pilis nixum, ad cameras ipſas atque triclinia aſcendebant: eandemque ob cauſſam id genus alveolos *vaporaria*, imo etiam *tubulos* cum antiquis adpellamus. *Vaporariorum* meminit Cicero, quum ad Q. Fratrem ſcribit *a*) : *Hypocauſta in alterum apodyterii angulum promovi propterea, quod ita erant poſita, ut eorum vaporarium, ex quo ignis erumpit, eſſet ſub tectum cubiculi.* Recte enim Cl. Baccius Elpidanus nomine vaporarii ſe-

a) *Fib.* III. ep. I.

feneſtram, ex qua vapor exhalabat in cameras, hoc loco intelligit. *Tubulos* vocat Plinius *a*) & Prcculus Juriſconſultus *b*), cujus verba nunc recenſemus: *Quidam*, inquit, *Iberius nomine, qui habebat poſt horrea mea inſulam* A), *balneariam fecit ſecundum parietem communem: de tubulis eo amplius hoc juris eſt, quia per eos flamma torretur paries.* Valet hic locus ad confirmandam ſimul opinionem noſtram, qui vaporaria hic inventa, ſeu tubulos iſtos manifeſto arbitramur indicio eſſe, rem balneariam, ſeu potius partem illam balnearum, quæ ſiccæ ſudationis, Laconici, & Caldarii nomine veniebat, hoc loco poſitam fuiſſe.

a) Hiſt. Nat. l. XXXV. c. 12.

b) de ſervit. Urb. præd.

Quandoque eosdem alveolos per tropum hypocauſta nuncupant priſci auctores.

Hoc

A) Nihil hic aliud, quam privatam Iberii dumum intellige. Nam Inſularum numine antiqui auctorea nun raro ædea privataa, ſæpe tam privataa quam publicaa, dum hæ ita ſitæ ſunt, ut parietem eommunem eum ceteris domibus nun habeant; intelligunt. Frequena eſt utruque hoe ſenſu apud Svetonium inſularum mentio: ut cum ſcribit de cenſu populi, quem Romæ Julius Cæſar inſtituit: *Recenſum populi nec more nec loco ſolito, ſed vicatim per dominos inſularum egit.* Et in Tiberio c. 48. *Munificentiam exhibuit quibusdam dominis inſularum, quæ in monte Cœlio deflagrarunt, pretio reſtituto.* Item in Nerone c. 16. *Formam ædificiorum urbis novam excogitavit, ut ante inſulas & domos porticus eſſent, de quorum ſolariis incendium arceretur.*

Hoc indicant illi Statii in balneo Etruſci verſus:

> - - - *ubi languidus ignis inerrat*
> *Aedibus, & tenuem volvunt hypocauſta vaporem.*

Quid enim aliud ædium nomine, in quibus *ignis inerrat*, quam ipſam *ſtubam*, vulgo ab idgenus tubulis ita dictam, ſeu *Hypocauſtum* proprie dictum intelligit? igitur, dum rurſus hypocauſta memorat, quæ tenuem volvunt vaporem, hoc vocabulo tubulos ipſos (qui & vaporaria ob calidos vapores, quos tranſmittunt, dici ſolent) ſignificaſſe cenſendus eſt.

Unum id genus tubulum (quem ex noſtro monumento deſumptum, integrumque ſervatum Admodum Reverendo & Clariſſimo Domino FRANCISCO STIPSICS Loci ejus Curioni in acceptis debemus) delineari atque æri incidi curavimus. *a*) Eſt is in quatuor latera ac totidem angulos rectos effictus, pedem unum, binasque uncias longus, baſis ejusdem utrinque figuram habet parallelogrammi, cujus latera majora beſſem, ſeu octo æquant uncias, minora 6. digitos. *a) Vide Tab. III.*

Uſus id genus tubulorum ſeu vaporariorum apud veteres non in balneis modo, verum pri-

vatis quoque in ædibus communis erat. Erant enim hypocauſta illis, ut nobis fornaces; duplicis tamen generis, quippe alia fuere mobilia, patiebanturque de loco in locum transferri, ut ex iis Ciceronis verbis liquet: *hypocauſta in alium apodyterii angulum promovi.* Alia vero fixa: atque horum potiſſimum ſtructuram tanquam nimias ævi ſui delicias perſtringit Seneca in epiſtola quadam ad Lucilium. Hæc erant illa, quæ ſubjiciebantur *Zetis* & *Zetecu-lis*, conclavibus nimirum ad delicias excitatis, ubi ſumma & ima per impreſſos parietibus tubos concaleſcebant.

§. V.

De parietibus.

Quod nunc de parietibus hujuſce monumenti dicamus, nihil prorſus occurrit ſingulare. Structi ſunt ex optimæ notæ lateribus, primum ſole duratis, tum igne percoctis. Quænam vero parietum fuerit altitudo? quæ in ſubſtructione craſſities? in quot latera, quotve angulos juncti? an & quibus in partibus ſeu ad lumen accipiendum, ſive ad calorem communicandum pertuſi fuerint? quamdiu ſubterranei hu-

hujus ædificii moles circumjecta humo non refoditur, liberaturque; accurata nequit fieri deſcriptio. Quantum vero in hypocauſto facies parietum interna explorari poteſt, id certum eſt, eos in complures angulos obtuſos jungi, & latera quaternis longe plura efficere.

Quod ad materiem attinet, paries hic eorum eſt ex genere, quos antiqui teſtaceos A) adpellabant, & a lateritiis B) diſtinguebant. Formaceum eſſe c) principio exiſtimabam, donec revulſa in hypocauſto cruſta, lateres igne coctos detexiſſem.

E At-

A) *Teſtaceos* a *lateritiis* diſtinguebant Veteres; iis enim lateritii vocabantur parietes, qui crudis, ac ſole tantum ſiccatis conſtabant tegulis: qui vero coctilibus, hos teſtaceos dicere placuit.

B) De parietibus lateritiis agit Plinius Hiſt. Nat. L. XXXV. c. 14. Qui ut firmi ſint, hæc præſcribit: 1mo ut *Lateres non e ſabuloſo, neque arenoſo, multoque minus calculoſo* ducantur *Solo, ſed e cretoſo & albicante, aut ex rubrica; vel ſi jam e ſabuloſo*, inquit, *maſculo certe.* 2do Vult eos verno tempore fingi. *Finguntur*, ait, *optime vere, nam ſolſtitio rimoſi fiunt.* 3tio Uti diu ſiccentur, ultra annum certe: ſunt enim, qui *ædificiis nonniſi bimos probant.* 4to *ipſam laterum intritam prius, quam finguntur, macerari jubet.*

c) De Formaceis idem Plin. Cit. loc. hæc ſcribit: *ex terra parietes appellant formaceos, quoniam in forma circumdatis utrinque duabus tabulis inferciuntur verius, quam inſtruuntur: ævis durant, incorrupti imbribus, ventis, ignibus, omnique cæmento firmiores.* Id genus muros Hiſpani *Tapias* vocant.

Atque hæc de præcipuis monumenti partibus, quæ adſpectui patent, ſeorſim adnotare viſum eſt. Nunc quis earum nexus, quæ rari hujus ædificii forma, quis uſus illius quondam fuerit, inveſtigabimus.

CAPUT II.

De nexu partium, forma, uſu priſco hujus monumenti.

§. I.

PArtes, quas præced. cap. deſcripſeramus, eum prorſus habent nexum, qui eſſe in hypocauſtis Laconicorum, & Caldariorum ſolet. Nam, quemadmodum Tab. I. fig. 2. adumbramus, Solo tegulis ſesquipedalibus ſtrato inſiſtunt pilæ; hæ concamerationem atque pavimentum tricliniorum, quæ hic diruta ſunt, fulciunt. Idem pavimentum, quod Vitruvius exigit, *in ſuſpenſura* eſt, nec enim uſpiam attingit parietes, ſed vacuum dimidii fere pedis intervallum frequentes alveoli teſtacei intercipiunt, per quos videlicet a ſubjecto hypocauſto ignei vapores ſupra pavimentum ad cameras eluctа-

luctabantur: id quod fuligo atra, qua os tubulorum nunc etiam obductum cernitur, manifeſtat. Præfurnium ſeu Propigneum meridiem verſus jungitur ipſi hypocauſto. Denique inſoliti hujus ædificii veſtigium ead. Tab. exhibemus, unde colligere poſſis muros non ad quatuor angulos rectos adſurrexiſſe, dum eſſent integri, verum plura latera pluresque angulos obtuſos conſtituiſſe. Id quod curatius explorari poſſet, ſi quæ obſtant, removerentur.

Conſideratis igitur partibus, nexu partium, forma monumenti, quæ omnia priſcum Romanorum ævum ſapiunt, quid hic aliud fuiſſe poſitum opinemur, quam illam balnearum partem, quæ a ſubjecto igne calefieri, immo torreri conſueverat, ut Laconicum, Sudatorium, Caldarium, & ſiquid aliud his conjungi ſolebat. Hæc enim, atque ſimilia conclavia (ut ex Vitruvii, Pliniique junioris deſcriptionibus diſcimus) *in Suſpenſuris* ſuper hypocauſta inædificabantur; his per tubulos, quales hic reperiuntur creberrimi, calidi vapores, a ſuccenſo infra cameræ pavimentum igne aſcendentes, immittebantur. Nam cameras intercolumnio, atque pavimento ſuperiori fuiſſe inædificatas, liquet tum ex

parietinis altius adſurgentibus, tum ex ipſo tam nobili lithoſtroti pavimenti opere, tum denique ex vaporariis ad ſuperius illud pavimentum undique ductis.

Itaque hæc, & quæ præterea præc. cap. ſparſim commemoravimus, ſufficere nobis videntur, ut rudera hæc priſcarum balnearum, ac ſpeciatim Laconici, concameratæ ſudationis, Caldariique Romani reliquias eſſe opinemur.

Quamquam non mea unius eſt hæc opinio, plures acri judicio præditi, rerumque antiquarum periti viri hoc monumentum non ſine voluptate ſpectarunt, factaque diligenti partium omnium inveſtigatione, in eandem conceſſere ſententiam.

Primi tamen, quantum memini, opinionem hanc ſuo comprobarunt calculo Adm. Rev. ac Cl. D. GEORGIUS PRAY Hiſtoriographus Regiæ Univerſitatis hujus Bibliothecæ ac Typographiæ Præfectus, & Adm. Rev. ac Cl. JACOBUS MARIOSA Neapolitanus apud Excellentiſſimum, Ill. ac Rev. D. ADAMUM L. B. de PATACHICH Archipræſulem Colocenſem, eundemque inclyti Senatus Regii Univerſitatis hujus Regiæ

giæ Præſidem, itidem Bibliothecæ Præfectus. Cujus viri, omnigenæ eruditionis fama non immerito celeberrimi, epiſtolam hoc in argumento ſcriptam, quam nuper Cl. Pray pro ſingulari ſua humanitate mihi legendam obtulerat, opportunum erit hoc loco ſubjicere. Sic autem habet:

Adm. Rev. ac Cl. V. Georgio Pray
Jacobus Marioſa
S.

„ In eadem omnino ego ſententia ſum, in „ qua tu ipſe es V. C. Aedificium illud certe Ro„ manum eſt: id oſtendunt majeſtas & ſoliditas „ totius operis, arenatum pavimenti, lateres „ tam bene cocti, ut argentum ſono imiten„ tur, & illa tam tenax laterum compactio, „ ut cum me jubente unum evellere Foſſor fer„ reo ligone conaretur, ſcintillæ exilierint. „ Quod Hypocauſtum, ſeu Laconicum, ſeu „ Caldarium, ſeu Sudatorium, ſeu Tepidari„ um, ſeu Aſſa dicendum ſit, hoc mihi ſuadet „ & ſtructuræ ipſius forma, & fuligo, & præ„ cipue foramina, ſeu vaporaria, quæ circa „ parietes ſunt, ex quibus calor e Suppoſito „ igne in ſuperius cubiculum erumpebat. Si-

„ milia Romæ ſunt ad S. Cæciliæ, niſi quod in „ eadem cum pavimento linea ſunt, ibi aliquantulum ſupra pavimentum aſſurgant. Pavimentum hoc, quod ego obſervare potui „ in illa parte, per quam deſcenſus patet, ad „ parietem usque non pertingit, ſed ab illo „ media ferme ſpithama diſtat, quam tranſverſi „ lateres in plura dividunt foramina. Pavimentum inferius ex lateribus ſtructum eſt, qui „ tenaciſſimo cuidam arenato adhærent, confecto ex calce, arena alba, & teſtarum fragmentis. Superius quod columellis innititur, „ triplici conſtat ordine, arenatum ejusdem „ prorſus ſpeciei medium eſt, inter duo quadratorum lapidum ſtrata. „

„ Ingredi volui loca ſenta ſitu; potius ut „ meæ curioſitati ſatisfacerem, quam ut tam „ exiguo tempore illius formam & figuram animo exacte concipere poſſem; ad hoc enim „ conficiendum iteratis vicibus opus. Dum recta pergerem, res mihi bene ſucceſſit, ferme „ ad medium perveni; tum illum qui facem „ præferebat, ulterius ad finem progredi juſſi, „ ſed nihil omnino ſingulare mihi ante oculos „ incidit. Solam cruſtam illam, qua lapides

„ ob-

„ obtecti ſunt, manibus detraxi, & millenariam „ fuliginem detexi. Ad dextrum igitur latus, „ quod orientem reſpicit, deflexi ferme ad pa- „ rietem usque. Videbantur ibi mihi (modo „ aliqua optica illuſio non intercеſſerit propter „ non vividum facis lumen) intercolumnia mi- „ nui, & columnæ nimium ad ſe accedere. An- „ gulus præterea apparebat ex lateribus, & „ poſt angulum velut fornix, ſeu potius cavum „ aliquod. Eo ire volebam, ut propius omnia „ ſcrutarer, ſed non potui: intercolumnium „ enim obliquum nimis anguſtum prohibebat; „ ſed hoc ſuperaviſſem: frigus tamen & pædor „ mihi reditum ſuaſerunt, & ſatis efficaciter. „ Schœnviſnero precor ſalutem meo nomine „ dici: debet ille, ne partibus ſuis deſit, mo- „ numentum iſtud eruderare, ac illuſtrare. Tu au- „ tem vale, meque ama. „ Peſthini 15. Febr. 1778.

§. II.

Monumenti bujus cum Laconico, ſeu Sudatione Piſana collatio.

Verum nihil eſt, quod Laconici, Caldariique rudus hoc eſſe, luculentius oſtendat, ac ejusdem cum Laconico, ſeu uti Cl. Robortellus illud vocat, cum Sudatione Piſana collatio; adeo

adeo noſtrum hoc illi ſimile, ut fere ovum ovo; pauca ſi excipias, quæ ad rei ſubſtantiam non pertinent, aut quæ ibi ſalva & integra, hic diruta conſpiciuntur. Lubet proinde ipſis Cl. Franciſci Robortelli verbis *a*) Piſani illius Laconici deſcriptionem Lectori proponere, noſtramque mox cum illa contendere. *In Laconico Piſano*, ait ille, *quoniam ante congeſta terra, & ruderibus erat oppletum, præter hemiſphærium ſuperius nulla pars conſpiciebatur.* Noſtro Budenſi minus adhuc ætas, quippe longior, pepercit. De hemiſphærio enim ſuperiore nihil hic reliquum: Extitiſſe tamen loco iſthoc eminens quodpiam ædificium, ſive hemiſphærii, ſive aliam in formam conſtructum; hæc potiſſimum indicio ſunt. 1) Quia dubium non eſt, quin pavimentum lithoſtrotum, pilis nixum, quod ſupra deſcripſimus, cubiculi cujuſpiam fuerit pavimentum. 2. Quia, qua parte humus reſſoſſa eſt, nunc etiam parietinæ ſupra intercolumnium adſurgunt hic duorum, alibi trium & amplius pedum altitudine. 3. Quia ſuper concameratione, quæ pilis nititur, ubicunque humum fodias, in tegularum, teſtarum, lapidum

a) *epiſt. ad Lotinium Volater an. 1554. data. in Thes. Græv. Vol. XII. p. 386.*

dum fragmenta, aliaque parietum & fornicum indicia offendis.

At poſtquam ædilium opera effodi locus coepit, omnes ipſius partes viſuntur, & pavimentum etiam ipſum; & pilæ, quæ pavimentum ſuſtinent, & teſtudines, quæ ſub pavimento ſunt, & alvei quidam, qui inter parietem ſunt & pluteum, & concameratæ quædam ſtructuræ. En partes præcipuas, Laconici, & Sudationis Piſanæ conſtitutivas. Quæ vero iſtarum non in Budenſi quoque, nunc reperto, conſpicitur? pavimentorum hic duo genera; & unum quam rarum, quam nobile? pilarum, ſeu columnarum quantus hic numerus! de alveis ſeu tubulis, ſeu vaporariis recole quæ ſupra diximus. Utinam vero hic quoque, uti quondam Piſis, ædilium, aut eorum, qui Romanarum antiquitatum non aſpernantur monumenta, accederet cura & ſollicitudo, hæc penitus eruderandi! invenirentur forſitan non pauca in Budenſi, quæ in Piſano ad integritatem veteris Laconici Caldariique deſiderabantur. Et vero vel in modico illo ſpatio, quod ſuper hypocauſto effoſſum erat, jam quædam inventa gaudemus, de quibus in Piſano repertis non conſtat ex Robortello; ut

e. gr. una ex rariſſimis illis tegulis hamatis, quales ad balineas fuiſſe adhibitas memorat Plinius *a*); quæ & magnitudine ſua, & figura plantæ pedis ſibi impreſſa, & inſcriptis Romanis characteribus adeo ſeſe commendat, ut ſeorſim parte altera pluribus deſcribi, & paullo longiore illuſtrari mereatur commentario.

a) *H. N. L. XXXV. c.* 12.

Quæ Cl. Robortello in Laconici ſui explicatione faceſſebant moleſtias, hæ res fuerunt: Primo, inventa in pavimento ſub teſtudinibus aqua. Hæc nos difficultas non premit; cineres enim, non aquam in monumento noſtro vidimus.

Deinde id eundem angebat vel maxime; quod parietes inter, ac pluteum ſuperioris pavimenti non major quam dimidii pedis fuerit diſtantia, iis nimirum locis, quibus alveoli teſtacei inſerti fuerant: cum tamen Vitruvius ſex omnino pedum latitudinem inter parietem, ac pluteum præceperit. Hinc, *unum me, angit*, ait, *quod video ſcriptum apud Vitruvium inter parietem, & pluteum eſſe latitudinem ſex pedum, cum exigua latitudo cernatur, ne unius quidem pedis* (intra illud ſcilicet ſpatium, intra quod alveolos fuiſſe inſertos dixit, præmiſerat enim: *al-*

veo-

veoli inter parietem ſudationis & pluteum collocabantur) Atqui easdem in Budenſi ſudatione inter parietem, extremamque pavimenti ſuperioris oram obſervamus anguſtias. Quid igitur, an non peræque ac Robortellum illa Victruvii, Architectorum Romanorum principis, verba ſollicitos, atque adeo perplexos nos reddere debeant? an Victruvium cum hæc diceret, ad multo majores, quales nempe Romæ fuere propter hominum frequentiam, Sudationes reſpexiſſe? an Victruvianam dictionem eo loco depravatam eſſe cum Robortello arbitrabimur? Nihil enimvero horum: ſed Victruvium ab hoc eruditiſſimo viro, quod ſane mirum eſt, peſſime intellectum hoc loco fuiſſe, id evidenter probabimus. Victruvii verba ſunt *a*) *Alvei latitudo inter parietem & pluteum non minus ſit pedes ſenos.* Duæ hic voces Cl. Robortellum in errorem induxerunt, *alveus* nempe, & *pluteus.* Ex ipſa enim ejusdem querela *alvei* vocabulo vel *alveolos* (ſeu tubulos teſtaceos, quos aliter vaporaria nominavimus) vel *ſpatium* illud, quo inter parietem ſudationis, & cameræ pavimentum alveoli illi continebantur, ipſum intellexiſſe conjicio.

a) L. V. c. 10.

Secundo toto cœlo aberravit a ſignificatione *plutei*, dum ait : *pluteum voco alterum veluti quemdam parietem e regione alterius ædificatum, non admodum latum, ſed ſimplici tantum tranſverſarum tegularum poſitione extructum.* Error uterque ut pateat, dico: *Alveum* Victruvio hic aliud non eſſe, quam ipſum in privato quidem aut minore balneo *labrum*; in publicis autem, & amplioribus balineis poſitam labri loco e lapidibus foſſam (*Baſſin* Galli vocant) Dein *plutei* vocabulo intelligi debere in illa Victruvii dictione extremum ejusdem labri, vel foſſæ lapideæ marginem. Utrumque ex ipſo Victruviani ſermonis contextu patet. Senſus enim eſt: *Alveum* (id eſt labrum) in balneo ea tantum latitudine ſive amplitudine poni debere, ut inter ejus pluteum (id eſt, extremum marginem) & inter parietem balnei ſpatium undique decem pedum intercedat; decem inquam, caſtigatior enim editio non *ſenos* verum *denos* habet. Sed ipſa Victruvii verba recitare placet: *Labrum*, ait ille, *Sub lumine faciendum videtur, ne ſtantes circum ſuis umbris obſcurent lucem -- Scholas autem labrorum ita fieri oportet ſpatioſas, ut cum priores occupaverint loca, circum-*

cumſpectantes reliqui recte ſtare poſſint. Alvei autem latitudo inter parietem & pluteum ne minus ſit pedes denos, ut gradus inferior inde auferat & pulvinus duos. En continuum de labro ſermonem, cui *primo* locum præſcribit, ut ponatur in medio Caldarii. Lumen enim fuit foramen ſeu feneſtra in medio hemisphærii facta: quippe ut Laconici ita quoque Caldarii conclave in modum hemisphærii concomeratum eſſe ſolebat. *Secundo.* Labrorum ſcholas, id eſt, ſtratum quoddam lapideum circa labra, cui expectantes, dum alii balneo ingrediantur, commode inſiſtere poſſent, jubet fieri juſtæ latitudinis. *Tertio* denique docet, quantæ peripheriæ labrum, ſeu, ut ſic dicam, ipſe labri alveus in Caldario, ut & Symmetriæ & commoditatis habeatur ratio in balnei cubiculo, eſſe debeat. Determinando enim quantam undique ab extremo alvei margine ad cubiculi parietes diſtantiam eſſe oporteat (nempe denum pedum) eo ipſo alvei quoque peripheriam determinat. Partes hæ omnes in effigie Tab. II. ſub voce *Balneum*, conſpici poſſunt.

Quod ſi dubites adhuc, eademne notio labroque alveoque attribui poſſit; ad Cicero-

nem provoco, qui *in orat. pro Coelio* Nomen alvei pro amplo in balneis vaſe uſurpat : *Ex quibus*, inquit, *requiram, quonam modo latuerunt ? alveuſne ille, an equus Trojanus fuerit.* Profero item ex *Feſto* teſtimonium *in Sulla* : *Alvei quoque, ait ille, lavandi gratia inſtituti, in quos ſinguli deſcendunt.* Quid multis ? ipſe Vitruvius Cl. Robortellum, docuiſſet, ſe alvei vocabulo neutiquam alveolos ſeu vaporaria, neque ſpatium quodpiam inter parietem ſudationis, atque pluteum, ſed majus quoddam labrum, vel foſſam lapideam, in quam loturi deſcendebant, intelligere: modo, quæ *eodem libro V. c.* 10. ab ipſo dicta ſunt, Robortellus attente legere voluiſſet. Hæc etenim antecedunt Vitruvii verba: *Quanta longitudo fuerit, tertia dempta, latitudo ſit præter ſcholam labri & alvei.* En eandem labri & alvei ſcholam, ut ſi hæc diſtinguenda ſint, ſola diſtinguantur magnitudine.

Verum hæc unius ejusdemque Vitruviani loci, qui Robortellum, nec paucos alios ceteroquin doctiſſimos viros tantopere torſit, æquo longior forte videbitur explanatio. At enim ſolvendus erat ſemel hic nodus, qui ut Piſanum

ita

ita Budenſe quoque Laconicum intricare, atque apud nonnullos, qui Victruvium legerent, ac peræque non ſat intelligerent, ſuſpectum forſitan reddere potuiſſet.

Reliqua erudite juxta ac eleganter ſuo in Laconico explicat Robortellus, profertque ea fere omnia, quæ cum antiquorum deſcriptionibus ipſi convenire videntur. Solum ſeu pavimentum infe: us in Piſana ſudatione ſesquipedalibus refert fuiſſe ſtratum tegulis. Idem in Budenſi obſervatur. De pilis memorat, eas ſuper eodem ſolo laterculis beſſalibus, aut aliquanto etiam minoribus extructas fuiſſe. Apud nos, ut ſupra de intercolumnio diximus, extant pariter complures extructarum ex iſtiusmodi laterculis pilarum ſeries ex parte, quæ ad Boream vergit: ex oppoſita autem hic lapideæ quoque, & majore quidem numero, ejusdem altitudinis columnæ viſuntur; quod mihi argumento eſt, plura diverſos in uſus conclavia præter Laconicum, his quondam pilis inædificata fuiſſe. *In Piſana ſudatione*, ait ille, *pilæ iis intervallis erant diſpoſitæ, ut ſupra binas pilas collocarentur ſingulæ tegulæ bipedales.* In hac Budenſi & pilæ non minus ſtipantur, & lapides igne

igne durati bipedales conſpiciuntur. *Ita collocatæ pavimentum ſuſtinebant.* Suſtinent hic quoque. Verum in earum tegularum collocatione nos illud hic obſervavimus, ſingulas uno quidem latere ad binas pertingere columnas, verum altero quoque latere oppoſito duas alias attingere, (recole quæ in deſcriptione intercolumnii noſtri diximus.) *Altitudo pilarum erat duorum pedum: nam teſtudinum concamerationem ampliorem eſſe non oportebat, ut facilius excalfieri poſſet Sudatio.* Noſtras ſeſtertium fere pedem altas advertimus, non additis baſibus, & capitulis. Porro pavimentum ſuperius Piſanæ Sudationis ita deſcribit: *Truliſſabatur teſta calci miſta; eam vero compactam eſſe oportebat ita, ut in tantam craſſitiem excreſceret pavimentum, quanta eſſet opus; Tectorio ſeu albario opere ex marmore ita exciſo, ut ejus altitudo tenuis unius eſſet ferme digiti.* Hoc mihi obſcurum: illudne ſtratum intelligit, quod quædam arenati eſt ſpecies, noſtroque in pavimento medium occupat locum? id quidem e teſta calci miſta colligi poſſe videtur. An ſtratum ſupremum cum medio confundit? Nam tectorium ſeu albarium opus; marmor exciſum; altitudo

unius

unius ferme digiti; hæc omnia apprime conveniunt ſtrato, quod in pavimento Budenſi ſupremum eſt. Cur pavimentum ſuperius nonniſi mediocriter craſſum eſſe oportuerit, rationem Cl. Robortellus hanc reddit: *quia*, inquit, *cum tanta eſſet pavimenti altitudo, & tectorii operis, mira quadam proportione tantus conficiebat calor, ut ſuperſtantium pedes oblectaret, & cum eſſet marmore ad unguem exciſo politum, facile ſtratos etiam ac jacentes homines recipiebat.*

Monet idem auctor os *præfurnii* ſatis amplum in Piſanæ Sudationis ruderibus detectum fuiſſe. Hoc neque Budenſi monumento deeſſe jam antea inſinuavimus. Congruit etiam cum *alveolis* noſtris, quæ de ſuis ille ſcribit. Quæ vero de *pluteo* dicit, quem inter ac parietem id genus alveoli collocati fuerint; ambigo, an vel in Piſana Sudatione talis extiterit, qualem ipſe fuiſſe exiſtimat, paries nempe teſtaceus e regione alterius poſitus. Certe id genus parietis, eo loco poſiti, nullum ne tenuiſſimum quidem in Budenſi Sudatione veſtigium adparet. Errori proinde, ut jam inſinuavimus, occaſionem hic etiam dederit lectum apud veteres, ac

alieno a mente auctorum ſenſu acceptum *plutei* vocabulum.

Quæ demum de ſuperſtructo hemisphærio, clypeoque hemisphærii, & luminibus habet, quoniam pars hæc apud nos alta humo tegitur, ea nihil ad inſtitutam Sudationis Budenſis cum Piſana contentionem attinent.

Supereſt igitur, uti deſcripto, quale nunc eſt, Rudere, ad ea progrediamur, unde antiquitatum ſtudioſus, jam non modo quale ſit, verum etiam quale illud fuerit, eſſe certe potuerit, intelligere valeat. Rem hanc ex propoſito eo lubentius pertractandam ſuſcipio, quod & plerique ſcriptorum pulcherrimam hanc veterum balnearum partem aut nimium obiter ac tenuiter, aut certe obſcure adeo, ut vix intelligi queant, deſcribere ſolent.

CAPUT III.

De Laconico, aliisque huic adjungi ſolitis domiciliis.

§. I.

LAconici plures omnino ex veteribus meminere. Meminit illius Columella *in præf.* dum ait: *Quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus, & exſucto ſudore ſitim quærimus.* Et Martialis *a*):

Ritus ſi placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore
Cruda Virgine A), *Marciaque mergi.*

a) L. VI. epigr. 42. 16.

Celſus, *b*) *Sudor etiam*, inquit, *duobus modis elicitur, aut ſicco calore, aut balneo. Siccus calor eſt & arenæ calidæ & Laconici & clibani, &* qua-

b) L. II. c. 16.

A) Inter ceteras Urbis Romanæ aquas præſtantiſſimæ fuere, quæ *Virginis*, & quæ *Marciæ* nomen habebant. En rationem denominationis hujus ex Plinio: L XXXI. c. 3. *Marcus Agrippa & Virginem adduxit aquam ab octavi lapidis diverticulo duo millia paſſuum Præneſtina via: juxta eſt Herculaneus rivus, quem refugiens, Virginis nomen obtinuit. Crudam* vocat Martialis eo quod perfrigida eſſet. Hoc rurſum explicat Plinius *ibid.* dum ait: *Horum omnium comparatione differentia ſupra dicta deprehenditur, cum quantum Virgo tactu tantum præſtet Marcia hauſtu.* Id eſt, tam frigidam experiuntur Virginem aquam, qui ea lavantur, quam frigidus eſt aquæ Marciæ hauſtus. Nam *quæ ſunt hauſtu frigidiſſimæ, non perinde* ſemper & *tactu eſſe, alternante hoc bono*, experientia docet.

querundam naturalium ſudationes, *ubi e terra profuſus calidus vapor ædificio includitur*, *ſicut ſuper Bajas in myrtetis habemus.* A) Vides his lo-

---

A) Non eſt neceſſe, ut in Italia ſuper Bajaa naturale id genus Lacunicum, ſeu Sudatorium quæramus. Habemua in ipſa Hungaria nobilioa qöid hoc in genere: in thermis videlicet Sklenenſibua ono ab urbe Schemniczenſi milliari diſſitis, ubi in medin fere collia illina, ex qon calidarum aqoarum fontea erumpunt, ſpecua quædam natura concamerata ſeſe aperit; quæ vulgo *ſpecus ſudatoria*, Germanis *Schvitzloch* adpellatur. De hac ita Bruwnius itin. l. II. c. 4. ſcribit: *ad ſpecum delatus ſum*, *quæ ad modum conclavis facta*, *& nativo thermarum æſtu ita calefacta fuit*, *ut qui eam ſubibant*, *pro loci*, *quem altiorem depreſſioremve eligebant*, *indole*, *ſudore commode & calore iſthoc pro lubitu potuerint perfrui.* *Revera ergo*, ait Cl. Belius, *ſpecus hæc a natura factum ſudatorium eſt*, *calore adeo intenſo præditum*, *quali vix balneo*, *cum moxime calent*, *nullo tamen adparente vel fumo vel vapore.* *Ingreſſit enim*, *tametſi nudò ſint corpore*, *ſudorem copioſiſſimum celerrime elicit*, *qui toto corpore ita manare conſvevit*, *quemadmodum ſi nunc ex aqua emerſiſſent*: *miro & hic naturæ temperamento*; *ſubſellia enim infima calorem habent remiſſiorem*, *ferventiorem media*, *at ſuprema longe fervidiſſimum*, *ut ab his etiam*, *qui corporit habitu ſunt compoctiore*, *tolerari haud poſſit diutius horæ quodrante.* Ita natura hic arti prælofit, qoa Rumani etiam, more a Laconibua recepto, ſicca id genus balnea non modicis ædificabant ſumptibua. De Bajania ait Vitruvius L. V. c. 10. *In montibus Bajanis ſunt loca ſudationibus exavata.* De Sklenenſibus hæc addit Belina. *Eſt ſpecus hæc naturæ beneficio ſic exeſa*, *ut balneolo manu facto haud abſimilis videatur.* *Superiori ætate anguſtior fuiſſe perhibetur*, *ut pouciſſimos caperet ſudatores.* *Comes poſtea Veſſelenius Hungariæ tunc Palatinus latiorem eam fieri curavit*, *ſcamnis in lateribus ſpeluncæ topho inciſis*, *ut jam ſudatoribus fere quindecim locum queat præbere.* Hæc & plura Belius in Hung. antiq. & nov. Prodromu pag. 132.

locis non modo nomen Laconici, verum etiam uſum ejusdem. Dio Caſſius præterea de Agrippa *a*) loquens docet, cur hoc ſicci balnei ge- [redacted]
nus Laconicum fuerit nuncupatum: *Sudatorium,* *a) hiſt. L. III.*
ait, *Laconicum fecit. Laconicum autem voca-* *pag. 721.*
vit, quoniam Lacones tum nudari corpora, & inungi oleo præcipue videbantur. Alii cenſent ideo ſic dictum, quia hoc balnei genus apud Lacones primam habuit originem.

Sed, quænam Laconicorum & ſtructura & forma fuerit, ex antiquis, quod ſciam, nemo præter Victruvium, celeberrimum Auguſti ævo Architectum, tradit. Quamquam & hic more ſuo ſtrictim adeo breviterque, ut a Baccio & Robortello forte haud injuria accuſetur; poſteritatem non reſpexiſſe, dum ea ſcriberet, quæ ſui ævi hominibus nota eſſe putabat. Itaque ex monumentis, ut multæ aliæ, ſic res iſta quoque ſupplenda, ac illuſtranda foret. Piſanum illud Cl. Robortelli haud parum lucis affudit: plura utinam hoc in genere inventa, & per habiles antiquarios eruderata fuiſſent! Ceterum, quod hodie utcunque accurata jam de iſta quoque antiquitatis parte tradi poſſit doctrina, Paulo Alexandro Maffeo, Patritio Vo-

laterrano, mea quidem ſententia, plurimum debemus. Hic enim, quemadmodum in Actis Eruditorum anno MDCCVII. Lipſiæ publicatis recenſetur, formam ſtructuramque Laconici & adjunctorum conclavium, qualem in ipſis Titi thermis depictam, indeque in librum Commendatoris del Pozzo tranſumptam deprehendit, optimis illuſtravit animadverſionibus. Hanc formam ſtructuramque cum in memoratis Lipſienſium Actis invenirem, (Maffei enim laudatum eo loco opus A) nondum Regiæ hujus Univerſitatis Bibliotheca poſſidet) exiſtimabam rem Lectori gratiſſimam me facturum, ſi rurſus æri incidi curarem, ac lucubratiunculæ huic infererem: idque eo magis, quod iconiſmus hic, ut Acta innuunt, non facile occurrat alibi. In Tab. II. igitur Fig. I. intuebitur Lector quot, & quæ domicilia Laconico conjungi fuerint ſolita. Nos vero de ſingulis his nunc pauca ſeorſim.

§. II.

A) Opus, in quo inter cetera paginarum ornamenta occurrit hujus etiam picturæ delineatio, pro titulo habet: *Collectio ſtatuarum antiquarum & modernarum a Domino de Roſſi publicata, quam Paulus Alex. Maffeus Patritius Volaterranus, ac Eques Ordinis S. Stephani, ut & cohortis Prætoriæ Pontificis, explicationibus illuſtravit. Romæ ad ſignum Pacis, anno M. DCC. IV. Fol. chart. reg. cum fig.*

§. II.

De Laconico & concamerata Sudatione.

Exhibentur hac Tab. II. ſex domicilia, nempe a dextris incipiendo: *Elæothesium*, *Frigidarium*, *Tepidarium*, *Concamerata Sudatio cum Camera Laconici*, *Balneum*, & *Cella cum tribus vaſis abenis*. Tribus poſtremis domiciliis unum idemque ſuppoſitum eſt Hypocauſtum.

Medium quaſi locum in hac ſerie occupat Laconicum, & concamerata Sudatio: hinc igitur ordiamur.

Attonitum, fateor, me reddidit primus Laconici hic expreſſi & concameratæ ſudationis adſpectus. Quotquot enim hactenus legeram, qui de Laconico ſcripſere, eorum nullus, ſi recte memini, Laconici & concameratæ Sudationis eam, quam iſthic intueor, diverſitatem exprimit, ſed unam eandemque ſignificat cameram, ſeu dum Sudationis aut Sudatorii, ſeu dum Laconici utitur vocabulo. Hic vero ampla imprimis cernitur Camera, quæ *concamerata Sudatio* inſcribitur, & intus in eadem minor altera ejusdem prorſus figuræ depingitur, niſi quod hic Clypeus ex catena pendens, igneo-

gneoque vapori ex lumine ſeu foramine rotundo erumpenti imminens obſervatur: ibi contra exedræ ac ſedilia cum hominibus ſudantibus conſpiciuntur. An pictor forte in parvo expreſſit, quod in magno, ſive in ipſa Sudationis Camera tam commode oculis ſubjicere nequiverat; Lumen ſcilicet in medio hemisphærii, clypeumque per cujus reductiones ac demiſſiones ignei vapores modo exirent, modo retinerentur? Atqui lumen hoc in ipſo pertuſum eſt pavimento in modum hemisphærii convexo. Ad hæc: ita parvæ huic cameræ, quæ tertiam nonniſi majoris efficit, ſubſcriptum hic legitur *Laconicum*, uti in vicino conclavi, quod Balneum dicitur, *Labro* ſubſcriptum legitur *Labrum*. Quamobrem dubium eſſe nequit, quin uti labrum a Balneo, ſic prorſus Laconicum a Concamerata ſudatione (quamvis alterum pro altero velut pars pro toto, aut viciſſim, apud auctores non raro ponatur) diſtinguere oporteat.

Et vero hoc poſito multa veterum dicta, antea non ſatis intellecta, illuſtrari poſſunt. Ut e. gr. dum Structuram Laconici docens Vitruvius *a*) præcipit *Laconicum Sudationesque conjun-*

a) L. V. c. 10.

jungere Tepidario: ex noſtro in thermis Titi reperto iconiſmo manifeſtum fit, Laconicum, Sudationesque non eſſe, ut vulgo recentiores opinabantur, mera ſynonima idem ſignificantia; verum hæc duo reapſe diſtincta eſſe, conjunctim tamen a Victruvio poni propterea, quod & alterum in altero (non ſecus ac major quædam fornax in conclavi) exſtrui debebat, & utriusque partes, formamque prorſus eandem (cum ſolo magnitudinis diſcrimine) eſſe oportebat. Nam utrumque ſuperne in hemisphærium curvabatur. Utriusque tanta fiebat altitudo usque ad hemisphærii curvaturam, quanta eorum determinata erat latitudo. Utrique in medio hemisphærii faciendum erat lumen, quod aheneo quodam inſtrumento jam aperiretur, jam clauderetur, pro ratione ſive intendendi, ſive temperandi caloris. Atque hæc ſane ratio eſt, cur de Laconico ſudationibusque tanquam de una eademque re loquatur Victruvius, dum ſcribit *a*): *Laconicum Sudationesque, quæ ſunt conjungendæ tepidario, æqueque latæ fuerint, tantam altitudinem habeant ad imam curvaturam hemisphærii; mediumque lumen in hemisphærio relinquatur, ex eoque clypeum æneum catenis pendeat,*

a) ibid.

per cujus reductiones ac demiſſiones perficietur ſudationis temperatura; ipſumque ad circinum fieri oportere videtur, ut æqualiter a medio flammæ vaporisque vis per curvaturæ rotundationes pervagetur.

Intelligi *2do* poteſt tam varios priſcorum auctorum de Laconicis atque ſudatoriis loquendi modos reſpicere non unum, ſed duplex Laconici genus; hoc ſcilicet minus quod proprie Laconicum; atque illud majus quod in effigie noſtra Concameratæ ſudationis nomine diſtinguitur. In majore quippe temperiem caloris neceſſe fuit majorem eſſe, ac in minori, quemadmodum intuentibus hanc effigiem patet.

De minori proinde ſermo eſſe videtur, dum quidam ex veteribus ſcribunt, ibi *aſſari, elixari, exanimari corpora;* eſſeque Laconicum tale quid, *ad quod* (ut Seneca loquitur) *Servum invitum delicti cauſſa ducere oporteret.* De majori vero, quam hic ſudationem concameratam vocamus, intelligendum eſt, dum auctores dicunt, ibi *refici, recreari flammæ vapore corpora.* Rurſus minorem illam deſignare videntur cameram auctores græci, dum Laconicum πυριαθηριὸν, ſæpe ὑπόκαυστὸν, ob largiorem in

eo

eo igneum vaporem, adpellant. Imo & Latini voce hypocauſti pro Laconico utuntur, ut patet ex Plinii ſecundi epiſtola *a*); dum hæc ſcribit: *Applicitum eſt cubiculo hypocauſtum perexiguum quod anguſta feneſtra ſuppoſitum calorem ut ratio exigit, aut effundit aut retinet.*

a) *L. II. epiſt.* 17. 25.

His jam præmiſſis, a veritate haud multum aberravero, ſi ſudationem id genus concameratam in monumento noſtro fuiſſe exiſtimem ex parte Boreali, ſuper pilas e coctilibus lateribus ſtructas: Nam & ipſa pilarum diſpoſitio, & parietum in plures angulos, immo in arcum ex hoc fine conſtructio ea eſt, ut facile credas domicilium parti illi hypocauſti ſuperpoſitum figuram ſi non rotundam, hexagonam certe habere potuiſſe. Deinde Laconicum ea forma, qua in Iconiſmo propoſito exhibetur, ſuſpicor ſuper eo fuiſſe foramine, quo pavimentum pertuſum eſſe & infra illud vacuum ab intercolumnio ſpatium ſaxeis quibusdam tabulis ſtipari *præc. cap.* diximus. Vide Ichnographiam Loci *Tab.* 1. *fig.* 1.

Vicina balnei camera, & locus pro vaſis myliaribus conſtructus partem hypocauſti auſtralem ſibi ſubjectam habuerit, opinor: hæc enim pars colli-

bus vicinior eſt, e quibus per occultos canales aqua deducenda erat. Ac reipſa conjecturæ utcunque favere videtur inventa hoc loco tegula triſpithamæa, literis figlinis inſcripta, cum hamatis marginibus, uti & peculiares quidam tubuli teſtacei. Colligitur enim ex Plinio *a*) frequentem id genus tubulorum, ac tegularum hamatarum in balineis uſum fuiſſe. Certius quid adfirmare liceret, ſi tam præclarum monumentum ab incumbentis terræ mole liberaretur. Sed jam reliquas propoſiti iconiſmi cameras intueamur.

a) *H. N. L.XXXV.* c. 12.

§. III.

De Balneo & vaſis myliaribus.

Concameratæ ſudationi conjunctam cernis alteram a ſiniſtris cameram, quæ hic BALNEUM A) inſcribitur; eadem ſecus *Caldarium*, vel

A) *Balneum* & *Balineum*, vel fœminino genere *Balneæ* & *Balineæ* promiſcue apud veteres legitur. Græce βαλανεῖον ἀπὸ τοῦ βάλλειν τάς ἀνίας ſeu a depellenda triſtitia, dictum quidam volunt cum S. Aug. l. 9. *Confeſſ.* At Suidas: βαλάνειον, inquit, τὸ λουτρὸν παρὰ τὸ βαλάνους παρα τοῖς αρχαίοις ὑποκαίεσθαι, id eſt, Balneum dicitur lavacrum, quod antiqui ad illud ſuccendendom glandes ſubjicere ſolebant: nam, ut idem ſcribit, Veteres glandibus veſci ſoliti, cortices igni alimenta præbe-

vel cella *Caldaria* dicitur; ut ut non deſint, qui Caldarium cum ſudatorio confundant. Græcis λοέλςὸν, & per ſyncopen λϐῆςον, id eſt, *Lavacrum* dicitur, vel etiam *Baptiſterium*, ἀπὸ τοῦ βαπτίζειν. Vides hic ſolium aquam continens omnis malæ qualitatis expertem, in quo homines conſidentes abluebantur: ſolium hoc *Labrum* & *alveum* vocat Cicero & Victruvius. Ejusmodi labrum antiquis vulgo *Tina* dicebatur a ſimilitudine videlicet vaſis vinarii; de quo Varro quodam loco: *Antiquiſſimi in conviviis utres vini primo, poſtea tinas ponebant.* Recolantur hic ea, quæ *præc. cap.* dicta ſunt ex Victruvio. Clare hic viſitur ſpatium quoddam circa labrum, in quo adſtant expectantes, dum alii e labro egrediantur; illud, inquam, ſpatium, quod Victruvius *Labri & alvei ſcholas* adpellat. Aliud vero, quod ab extrema labri peripheria usque parietem undique porrigitur, ipſiſſimum eſt illud intervallum, de quo ſupra retulimus

bebant. Sunt, qui balneum inter & balneas diſcrimen ſtatuunt, quaſi nempe illo privatum, his publicæ tantum balneæ intelligi deberent. Sed neque Cicero, neque Plinius hoc diſcrimen obſervant. Lego enim apud Plinium: *M. Agrippa publica balnea fecit.* E contra Cicero privata M. Bruti balnea vocat balneas l. II. de orat. *Quam multa de balneis, quas ille vendiderat.*

loqui Vitruvium verbis illis Cl. Robortello non intellectis: *Alvei latitudo inter parietem & pluteum ne minus ſit pedes denos.* Subjungit enim illico: *Ut gradus inferior inde auferat, & pulvinus* (id eſt, gradus ſuperior) *duos pedes.* Duos hoſce gradus curatiſſime in hac balnei camera expreſſos habes.

a) *De urb. ac Rom. Imp. Splend. pag.* 316.

Balneum iſtud Caſalius *a*) cum *Tepidario* confundit; *Laconicum* autem & *concameratam Sudationem* cum *Caldario*: verum hæc, uti videmus, diſtinguit omnino Icon in thermis Titi reperta. Nec ſane potuit Cameræ huic *Tepidarii* adpellatio convenire, in qua & pavimentum a ſubjecto in Hypocauſto igne torrebatur, & per fiſtulas occultas calida in labrum aqua e vicino influebat conclavi.

Hoc tamen haud invitus admiſero; hæc balnearum domicilia non ſemper æquali numero, eodemque ſtylo fuiſſe conſtructa: unde fieri ſane potuit in privatis præcipue balneis, ut & hypocauſtum ſoli ſuppoſitum eſſet ſudatorio, & Caldarii locum Tepidarium occuparet. Nam

b) *L. II. epiſt. ad Gallum.*

Plinius junior *b*) in privato quodam balneo tres nonniſi conjunctas cameras enumerat.

Cal-

Caldarii ſive *Balnei calidi* cubiculo conjuncta erat a ſiniſtris camera, in qua hypocauſtum, ut iconiſmum intuenti patet, continuatum, & gradatim elevatum ſteterat. Tribus velut gradibus inſiſtebant ahena quædam, quæ idem cum tribus cameris nomen habebant. Ad vaſa hæc clandeſtinis quibusdam meatibus aqua influebat, ex iisdemque continuo per epiſtomia effluebat. Erant autem iſto collocata ordine: in ſupremo gradu vas *Frigidarium* ſtabat, ad quod frigida per parietem ducto tubulo, ut adparet, aqua inſiliebat, ex hoc ad aliud inferiore poſitum gradu, quod propter aquæ in eo contentæ teporem *Tepidarium* vocabatur, defluebat: hinc porro ſimile per epiſtomium decidebat ad vas tertium gradu infimo locatum, quod quia vehementiore concalebat flamma, *Caldarii* nomen obtinuit. Ex Caldario denique per fiſtulas, furtivosque ſiphones pura ſemper ac defœcata lympha in *Balnei* cameram, labrumque, aut alveum ſubibat.

Hæc vaſa græci μιλιαρία; Latini ut Cato, Seneca, Victruvius, Palladius, aliique *myliaria* vocant: forte a mille librarum aquæ capacitate; erant enim, teſte Victruvio maximi inſtar

aheni

aheni ad circinum teſtudinata. Sed cur non milliaria potius, quam myliaria ? non vacat inveſtigare. De epiſtomiis in quadam *ad Lucilium* epiſtola ſcribit Seneca, ea ſæpenumero ubi ſcilicet major apud Romanos invaluit luxus, ex argento fuiſſe.

§. IV.

De Tepidario.

Tepidarium Camera erat Sudationi concameratæ, ut Vitruvius præſcribit, & noſtra Icon exhibet, altera ex parte conjuncta. Inſerviebat binis hominum generibus; tum ſcilicet iis, qui tepore aeris ob valetudinem, aut voluptatem frui volebant; tum qui ad ſiccam ſudationem ſeſe præparabant. Nec enim conſultum fuerat, ut a Frigidario confeſtim ad Sudatorium, ab uno nimirum extremo ad aliud progrederentur.

Idem Tepidarium *Apodyterii* quoque nomen habebat, ſi nimirum eodem, ut plerumque fiebat, loco veſtes deponebantur: nam Apodyterii etymon ἀπὸ τȣ̃ ἀποδύειν *ab exuendo* venit. *Apodyterii* vocabulum Ciceroni etiam, aliisque la-

latinis familiare eſt, quamquam ejus loco non raro *Spoliatorii*, aut *Spoliarii* voce utantur.

Tepidarii paſſim veteres ſuis in ſcriptis meminere. Celſi verba ſunt: *a*) *Si in balneum*, inquit, *venit*, (is cui caput eſt infirmum) *ſub veſte primum paullum in Tepidario inſudare, ibi ungi; tum tranſire in Caldarium* debet: *ubi ſudavit, in ſolum non deſcendere, ſed multa calida aqua per caput ſe totum perfundere: deinde id aliquandiu perfricare: noviſſime detergere, & ungere.*

a) L. I. c. 4.

Intepeſcebat autem hoc in conclavi aer vel e calidis, ſiccisque vaporibus ex vicina ſudationis camera huc delatis, vel ex aliis humidis, qui ab herbis, plantisque decoctis transmittebantur. Imo hunc in uſum interdum vapores per aquam in lapides ignitos, candentesve laminas ſuperfuſam excitabantur.

Servi, qui depoſita eo loco veſtimenta pro mercede ſuſcipiebant, capſisque cuſtodienda includebant, *Capſarii* dicebantur. De his *Jureconſultus b*) hæc habet: *Adverſus capſarios quoque, qui mercede ſervanda in balneis veſtimenta ſuſcipiunt, judex eſt conſtitutus, ut ſi quid in ſer-*

b) Paull. leg. 3. §. ult. de Offic. Præf. Vig.

ſervandis veſtimentis fraudulenter admiſerint, ipſe cognoſcat.

Tepidarii & Apodyterii expreſſam non facit mentionem Galenus, qui quatuor ſolummodo enumerat domicilia, ad propoſitum ſuum, ægroti videlicet curandi, facientia.

§. V.

De Frigidario.

Ad alterum Tepidarii latus exhibet effigies noſtra aliud conclave, quod & hic, & apud Vitruvium adpellatur *Frigidarium*, a frigido ſcilicet ſolio, recentique hoc in cubili aere. Amplum hoc ſpatium in publicis balneis occupare ſolebat: hic natatione exercebantur corpora, hic poſt decurſiones ac certamina ſudor ac pulveres abluebantur.

Pars iſta græcis κολυμβήθρα, Xenophonti peculiariter λουτρὸν *Lavacrum*; Latinis vero *Natatio*, interdumque *Piſcina* vocabatur. Talis quondam Hieroſolymis fuit *Piſcina* illa *probatica* quinduplici vallata porticu. Obſervandum tamen, *Natationes* ac *Piſcinas* duplicis fuiſſe generis. Particulares nempe alias, ceteris con-

conjunctas domiciliis, qualem hic adumbratam videmus; alias vero communes amplioresque, a reliquis balnearum partibus avulſas. De particulari loquitur Tullius, dum ad Q. Fratrem ſcribit: *Latiorem piſcinam voluiſſem, ubi jactata brachia non offenderentur.* Galenus *a*) diverſis exprimit vocabulis latiores & anguſtiores piſcinas, illas enim κολυμβήθρας, has πυελοὺς adpellat: quippe ad hecticam, ac ſiccitatem ventriculi vitandam ſuadet, ut natatio ἐν ταῖς κολυμβήθραις inſtituatur potius, quam ἐν τοῖς μικροῖς πυελοῖς.

a) l. VII. Method.

Quandoque ampliores id genus natationes *Stagnorum*, imo & *Naumachiæ* vocabulo inſigniunt priſci auctores. Ita veriſimiliter de majore quadam Natatione, a ceteris balnearum ædificiis ſeparata intelligendus eſt Martialis, dum ait *b*):

Hic ubi conſpicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles, ſtagna Neronis erant.

b) Epigr. l. II. 1.

Et vero natationum in frigida antiquiſſimus fuit Romanis uſus, multo ante inductam balnearum commoditatem. Namque, ut Vegetius teſtatur, primis temporibus in campo Martio Romani juvenes exercebantur, peractiſque exerci-

ercitationibus partim in Tiberi, partim in conſtitutis intra urbem locis ſeſe abluebant, atque ad ſubeunda, cum opus foret, aquarum pericula natatione ſeſe præparabant.

§. VI.

De Elæothеſio.

Quod reſtat in hoc Schemate *Elæotheſion* eſt, ſeu conclave illud, in quo unguenta adſervabantur, & loturi ungebantur.

Vocis etymon clarum eſt, ab ἔλαιον *oleum*, & θέσις *poſitio.* Alias idem conclave ἀλειπτήριον græci vocabant, Latini *unctuarium*, ac *deterſorium.* Ceteris domiciliis illud conjunctum fuiſſe liquet tum ex noſtro ſchemate, tum ex illo Plinii *L. 2. ad Gallum* dicto: *adjacet Unctorium.* Idem e Sidonio colligi poteſt *a*): *Hic aquarum*, inquit, *ſurgit cella coctilium, quæ unguentariæ ſpatii parilitate conquadrat.*

a). Sid. L. II. ep. 2.

Eandem cellam oleariam probabile eſt *Tonſtrinæ* quoque locum fuiſſe, ubi nimirum & varia olei genera, atque unguenta, odoreſque ad opportunos uſus ſervarentur; & qui vellent, barbæ & capillorum cultui vacarent.

Pars

Pars hæc quemadmodum eruditus Baccius ſcribit *a*): *erat una de neceſſariis ac eſſentialibus in toto Thermarum ritu*; *quando hic mos erat communiſſimus*, *ut quisque lotus*, *ſimplicis ſaltem olei unctione uteretur*, *tum ut ſudores inbiberet*, *tum ut ſe ab extrinſecus ambientis aeris injuria vendicare poſſet.* Unde legimus *in Principum Romanorum vitis*, inter cetera publica munera non raro etiam oleum donatum fuiſſe, quo in communi veluti gaudio pauperes etiam in balneis frui poſſent. Ceterum unctionum, quas unusquisque e locupletioribus privatim ſibi ferebat ad balneum, luxus legitur (inſaniam dixero melius) incredibilis. Erant, qui ipſos adeo parietes pretioſo inſpergerent unguento, Soliique aut labri, in quo lavabantur, latera illinerent; ut ita penetrante exactius unguento, odor ac virtus ejus diutius perſeueraret in corpore. Hunc in modum Cajus Caligula ſolitus eſt, Suetonio teſte, lavari. Addit Lampridius; Heliogabalum in piſcinis numquam lavari ſolitum, niſi illæ croco prius, aliisque magni pretii unguentis perfuſæ fuiſſent. Plura id genus in Seneca, Plinio, Spartiano legi poſſunt, quæ conſulto prætereo, ſolumque unguentorum, quæ Ga-

a) De Therm. veter. c. 10.

Galenus Romanorum lautitiam inveniſſe autumat, quædam recenſebo nomina, ut ſunt: Megalium, Metopium, Mendeſium, Oenanthinum, Erotinum, Rhodium, Amaracinum, Cyprinum &c.

§. VIII.

De Hypocauſto.

Si *Hypocauſti* vocabulum latine reddere velis, haud incongrue *Subincenſum* adpellabis. Erat enim *Hypocauſtum* (ut eadem Tabula exhibet) locus infra pavimentum concameratus, in quo ſuccendi ſolebat ignis, cujus flamma ſeſe attollebat, calidosque vapores ſurſum ad pavimentum & conclavia per diſpoſitos tubulos ac alveolos teſtaceos tranſmittebat.

In ſchemate propoſito exterior hypocauſti facies parte illa, qua concameratæ Sudationi Caldarioque ſubjacet, exprimitur; quamobrem mirum eſſe non debet, latens in eo intercolumnium, quo pavimentum ſuſtentatur, non adparere. Adumbrantur in hoc iconiſmo alveoli etiam, e quibus ignei vapores erumpunt, æque in quatuor deſinentes latera, ac in Buderſi hypocauſto. Verum obſerva: hoſce alveolos non

rite

rite ad leges Opticæ hic expreſſos eſſe; exhibentur enim quaſi ipſo in hypocauſti pariete feneſtrarum inſtar facti, quod tamen a veritate alienum eſt: nam ex veterum deſcriptionibus conſtat, idgenus alveolos inter parietem ac pavimentum interſertos fuiſſe. Ad evitandum proinde errorem opticum, rem ita cenſeo accipiendam: ut hypocauſti parietem ibi terminari concipias, ubi alveoli incipiunt; hos vero ideo duntaxat hic poſſe conſpici, quod Sudationis paries, cujus ima pars eos contexiſſet, hac parte ſublatus cogitari debeat. Et vero adhibitis dimenſionibus colligitur, pictoris mentem fuiſſe, alveolos in eadem cum pavimento linea deſignare; ſecus enim parietibus ſudationis tantam altitudinem non dediſſet usque ad imam hemisphærii curvaturam, quantam latitudinem cameræ adtribuit, quod tamen leges Victruvianæ diſerte præſcribunt. Errorem hunc opticum additis umbris in hoc Schemate facile corrigere potuimus; at effigiem aliter, quam in Actis eruditorum Lipſienſibus exhibetur, proponere nolebamus.

Ex eodem iconiſmo id quoque colligi poſſe videtur, ignem in hypocauſto non ubivis, ſed

cer-

certis tantum non procul a pariete, ac ferme infra alveolos, ſpatiis excitari conſveviſſe. Et vero, ut eſt Budenſis hypocauſti ſtructura, vix aliter fieri potuerit: Obſtabat enim intercolumnii denſitas, periculum calcinationis earum pilarum, quæ ſaxeo conſtant ſcapho, & ingens lignorum diſpendium, atque conſumptio. Circa medium proinde hypocauſti vix alibi, quam infra Laconici cameram, focum accendi ſolitum fuiſſe arbitror, quemadmodum & ipſa hæc effigies repræſentat, & ex monumento noſtro conjici poteſt (confer quæ ſupra *Cap. I. §. II.* & *Cap. hoc III. §. I.* & *II.* diximus) Ad Laconicum videlicet neceſſe fuit, ut major vaporum calidorum copia ſubintraret.

Pars altera hypocauſti, ut hic in Tabula exprimitur, peculiari eſt forma. Unica enim quodammodo pila ſtructili, per tres elevata gradus conſtat, quibus impoſita hic cernuntur Vaſa myliaria, a quibus ipſa etiam cella Vitruvio *Vaſaria* vocatur. An Budenſi quoque Laconico Caldarioque cella id genus *Vaſaria* conjuncta fuerit, adfirmare non audemus. Conſtat enim, hæc balnearum domicilia nec æquali ubivis numero, nec eodem ſemper ſtylo a priſcis

ſcis

ſcis Romanis ædificata fuiſſe, quod jam alias quoque monuimus, & ex Plinii ſecundi epiſtolis ſive *ad Gallum*, ſive *ad Apollinarem* ſcriptis colligi poteſt. Verum expectandum eſt, ut locus tandem ex integro effodiatur, expurgeturque, quo certius quid hac de re pronunciare valeamus.

De iſta potiſſimum hypocauſti parte loquitur Vitruvius, dum ait: *a*) *Sic enim efficietur, ut in Vaſario ex hypocauſto communis ſit uſus eorum utriusque. Abena ſupra hypocauſtum tria ſunt componenda, unum Caldarium, alterum tepidarium, tertium frigidarium; & ita collocanda, ut ex tepidario in caldarium, quantum aquæ calidæ exierit, influat de frigidario in tepidarium ad eundem modum.* a) L. V. c. 10.

Idem Vitruvius *loc. cit.* docet Balnea virorum diſtincta a Balneis mulierum fuiſſe; ita nihilominus, ut ſuper eodem hypocauſto duo diverſi cellarum ordines poſiti fuerint, quo ſcilicet ex iisdem vaſis myliaribus per diverſas fiſtulas tum ad Virorum, tum ad mulierum cellam balneariam influeret aqua. Præſcribit igitur, ut virorum mulierumque *Caldaria ſint conjuncta, & in iisdem regionibus collocata. Sic enim,*

inquit, *efficietur, uti vaſaria* A) *ex hypocauſto communis ſit eorum utrisque*: (ita legit Cl. Caſalius)

Ex his Victruvii Verbis patet ſimul, falſam eſſe illorum opinionem, qui exiſtimant usque ad Hadrianum eadem pro utroque ſexu balnea fuiſſe; Victruvius enim ſub Auguſto floruit. Id verum eſt, Principum deinde vitio, aut conniventia ſæpe balnea mixta permiſſa fuiſſe; quem abuſum Hadrianus, teſte Spartiano, & M. Aurelius, auctore Capitolino, ſubmovit. Idem teſtatur Lampridius de Alexandro Severo: *Balnea mixta*, inquit, *Romæ exhiberi prohibuit.*

Quamquam probiores ac honeſtiores Matronæ publicas balneas nunquam adiverunt, ſed privata habuerunt lavacra, & ſudatoria. Unde ingens privatorum balneorum non Romæ modo, ſed paſſim Romanis in provinciis extitit numerus.

C A-

A) *Uti vaſaria* (Subintellige cella) *ex hypocauſto communis ſit eorum utrisque.* Ceterum idem eſt ſenſus etiam prioris lectionis; *ut in Vaſario ex hypocauſto* &c. ut Supra.

CAPUT IV.

De reliquis Balnearum ædificiis ſeu de Thermis veterum, earumque fine ac inſtitutis.

§. I.

Digreſſio ad ampliores Thermas.

BAlneæ a Thermis, uti pars a toto, diſtinguendæ videntur, ſi ſermo ſit de publicis balneis; quales hic, ubi Laconici Caldariique rudera deteximus, quondam ſtetiſſe non temere opinamur. Id profecto ex inſcriptionibus, quas parte altera vulgabimus, non obſcure patebit: id conjectare licet ex aliis ruderibus, quæ non procul a monumento noſtro in hortis, in cellis vinariis, in propinquo agro inveniuntur. Ampla enim ſpatia Thermæ veterum occupabant; ut adeo Ammianus Marcellinus quodam loco Thermas Imperatorum fere provinciarum in modum extructas fuiſſe conqueratur. Totque ac tam ſuperbis ornabantur ædificiis, ut ſapientiores cum Seneca & Plinio luxum ac inſaniam in iis carpſerint potius, quam laudaverint magnificentiam.

Ceterum, quod ad rationem Thermarum attinet, ædificationis illarum varia fuit forma, ac varia partium diſpoſitio, ut recte Cl. Baccius A) obſervat. In majoribus tamen (quales fuere *Antoninianæ* B), aut *Diocletianæ*) C) area

A) Qui ea, quæ ſcriptores antiqui ſparſim de Thermis ævi ſui adnotarunt, diligentiſſime conquiſivit, ac unum velut in corpus collegit, is primus erat Baccius Elpidanus, Medicus atque Philoſophus. Opus ejusdem in ſeptem libros diviſum primam lucem Venetiis anno 1571. adſpexit. Additus eſt octavus e MSS. anno 1712. Liber ſeptimus totus in hoc argumento verſatur: extat recuſus etiam in Græviano Antiquitatum Romanorum theſauro *Vol. XII. pag.* 200. *& ſeqq.* Ex hoc, quæ de Thermis nunc univerſe dicemus, plurima in rem noſtram corrivabimus.

B) *Antoninianas, vel Antonianas* thermas hic intellige, non quas Antoninus Pius vel M. Aurelius Antoninus, ſed quas Antoninus Caracalla in Regione decima Piſcinæ publicæ inter Aventinum & Cœlium montem ſtruxerat: de Caracalla ita Spartianus in Severo: *Vixit diu in odio Populi Antoninus, quamvis & veſtimenta Populo dederit, unde Caracallus eſt dictus, & Thermas magnificentiſſimas fecerit.* De his vero Thermis idem Spartianus in vita Antonini Caracallæ hæc ſcribit: fecit *Thermas nominis ſui eximias, quarum cellam ſolearem Architecti negant poſſe ulla imitatione, qua facta eſt, fieri. Nam & ex ære, vel cupro cancelli ſuperpoſiti eſſe dicuntur, quibus cameratio tota concredita eſt, & tantum eſt ſpatii, ut id ipſum fieri negent potuiſſe docti Mechanici. Idem viam novam munivit, quæ eſt ſub ejus Thermis, Antonianis ſcilicet; qua pulcrius Romanas inter plateas non facile quicquam invenias.* In iisdem thermis narrat Olympiodorus fuiſſe *in uſum lavantium ſellas* mille ſexcentas e polito marmore factas. Antonianas Thermas ornavit poſtea Elagabalus, ſive Antoninus Heliogabalus, imo & Alexander Severus, Lampridio teſte, eas perfecit. Ichnographiam earundem ex parietinis deſumptam reperies in Sebaſt. Serlii Architectura.

C) *Diocletianæ* Thermæ in Viminali fuere. Ad harum ædificationem Diocletianus aliquot militum Chriſtianorum millia, quos cum

area ampliſſima, in quadrum clauſa, tribus veluti perpetuis circuitionibus dividebatur. „ *In primo* „ undique ambitu, inquit Baccius, quæ mœniorum „ inſtar totum ædificium claudebant, erant Gy- „ mnaſia exercitationum vario ordine. *In ſecundo*, „ longe lateque ſpatia platearum, Xiſta, & „ Platanones ad exercitia ſub divo, *In medio* „ tota ipſa moles Thermarum, quæ ſunt mem- „ bra balnearum. Atria ſimul atque Xiſti, & „ Palæſtrarum ampliſſimæ porticus, ubi, ut „ ſcribit Viſtruvius, Athletæ per hyberna tem- „ pora in tectis ſtadiis exercerentur, ac tranſi- „ rent ſtatim ad balneas. „

Sed jam ſingula diſtinctius: in prima igitur facie, quæ fuit ad meridiem, tertiam fere partem occupabat *Theatridium*. Hæc erat pars

cum ignominia exanctoravit, mancipiorum inſtar compulit, perfectoque ædificio trucidari juſſit. Corpora ad Aquas ſalvias condita ſunt: vide Baron. T. II. Annal. ad an. 298. Dioclet. 15. Reſiduam Thermarum molem poſt plura demum ſecula Pius IV. Pontifex Maximus Virgini Angelorum Dominæ conſecravit: jam ante tanto Sanctorum ſudore ac ſanguine conſecratam. *Verum illa*, ait Cl. Joan. Caſalius, *quamvis hodie magna, quantula pars Thermarum fuit? Fuerunt ibi in uſum lavantium ſolia ſellæque plusquam tria millia, altiſſimi fornices, camerationes, hemiſphæria, teſtudines, porticus, latiſſimæ areæ ſubdiales; aliaque admirabilia: & nunc hortos, horrea publica, duo Cœnobia Carthuſienſium & Ciſterciensium ſtrictioris diſciplinæ, item vineta, plateas ampliſſimas capiunt.*

Digitized by Google

præcipua, ac veluti caput totius hujus ædificii. Duplicem ejus uſum Baccius fuiſſe exiſtimat; alterum videlicet extrinſecum, intrinſecum alterum: nam per ambitum exteriorem, qui arcuato fuit opere diſtinctus, & apertus, ingrediebantur homines quaſi per poſticum, & ſive dextra verterentur, ſive ſiniſtra per porticus, in ampliſſimam veniebant plateam, indeque, quo vellent, ſive in palæſtras, ſive in balnea progrediebantur; conſpectus vero interior ejusdem Theatridii erga plateas, præbebat quandam Theatri ſpeciem; erat enim multis diſtinctus ſedilibus, ut nempe populus ac præcipue nobiles ſub umbra ſederent ad ſpectacula ludorum, qui in plateis exercitii cauſſa fiebant.

Complures utrinque præterea a Theatridio partes in Thermarum planta ſeu Ichnographia repræſentantur: has quidam balnea fuiſſe putant, quia earum una hemisphærii formam referebat; verum cum nullus hypocauſti locus ibidem adpareat, rectius opinatur Baccius, qui ædificia illa adſerit partim ipſius Theatridii membra fuiſſe, partim loca ad uſum Athletarum, id eſt, eorum qui exercendi eſſent coram Thea-

tri-

tridio, quaſi palæſtras breves, vel deambulationes.

Quæ autem utrinque in verſuris fuere ſtructa, hæc *ſphæriſterium*, & *Sacella* continebant. *Sphæriſterium* forma erat rotunda, fuitque locus *pilæ* luſui deſtinatus, imo aliis etiam exercitationum generibus; ſiquidem Plinius ait *a*): *Apodyterio ſuperpoſitum eſt Sphæriſterium, quod plura exercitationis genera, pluresque circulos capit.* Sacella in Architectorum delineationibus notantur per ædiculas æquis undique ſpatiis Statuarum diſtinctas. Atque hæc erat *primæ faciei* partitio.

a) L. V. epiſt. 6.

Porro, ut idem Cl. Baccius exiſtimat, *in altera facie*, quæ ab Aquilone eodem commenſu reſpondet priori, fuerunt majori ex parte Gymnaſia Philoſophis dicata, ac Rhetoribus, ceterisque, qui ſtudiis literarum dediſſent operam. Hæc enim pars magis remota fuit a ſtrepitu Athletarum, ſitumque habuit commodiſſimum, tum propter amænitatem umbrarum (erant enim in hac platea Platanones) tum propter grata fontium murmura in *Natationem* ipſam cadentium. Erant proinde hac in parte complures Exedræ clauſæ ante plateam, & cum

ſedi-

ſedibus hemicycli forma factis in uſum diſputantium & audientium.

Totam autem hanc circumferentiam primam c.ic.mdabant quædam porticus, ducentas uno ſtylo columnas habentes: poſt has plateæ fuerunt amplæ ac liberæ.

In ea demum parte, quæ *Natationem* præcedebat, fuere Xyſtum A), Platanones B) & ſta-

A) *Xyſtum* & *Xyſtus* diſtingui debent. Ξυσὸς *Xyſtus* enim erat porticus tecta, in qua athletæ per hyemem exercebantur, imo æſtate etiam interdum, tempore videlicet ob nimios æſtus aut imbres luctationibus parum idoneo. *Xyſta* vero fuerunt ſubdiales ambulationes, ubi leniore tempeſtate athletæ prodeuntes exercebantur. Hoc diſcrimen Victruvius L. v. c. 2. diſerte notat: *Hæc autem*, inquit, *porticus* ξυσὸς *apud græcos vocatur, quod athletæ per hyberna tempora in tectis ſtadiis exercerentur. Proxime Xyſtum, & duplicem porticum deſignentur hypæthræ* (id eſt, ſubdiales) *ambulationes, quas græci* περιδρομίδας, *noſtri Xyſta appellant, in quas per hyemem e Xyſtis ſereno cælo Athletæ prodeuntes exercentur.* In utriusque igitur generis Xyſtis athletæ exercebantur; pluvio nempe tempore ſub tectis porticibus, quas Græci ξυσὸς δρόμους vocant ab æquata, & raſa humo: Sereno autem cœlo in ambulationibus hypæthris, ſeu ſub dio poſitis, quas Latini Xyſta nuncupant. Vide *Salmat. in Tertull. de Pall. Voſſ. Lex. Etymol.* item *Philandr. in Victruv.* & *Panvin. de Lud. Circens.*

B) *Platanon* ſeu platanetum, locus ubi plures *platani* arbores. Meminit Platanonis Seneca epiſt. 55. *Platanona medius rivus*, inquit, *& a mari, & ab Acheruſio lacu receptus, Euripi modo dividit.* Erat inſtar horti, pictisque feris interdum exornabatur, ut patet ex his Martialis verſibus L. III. epigr. 19.

Proxima centenis oſtenditur urſa columnis,
Exornant pictæ qua platanona feræ.

ſtadium A) ad exercitationes potiſſimum æſtivas idonea. Fiebant enim Xiſta, Victruvio auctore *a*), inter duas porticus ſylvæ, quæ erant Platani, virentesque id genus arbores conſitæ, aptiſſimo ante Natationem ſitu, unde refrigeria caperentur. Poſt Xyſtum autem ſtadium ita figuratum, ut poſſent hominum copiæ ſine impedimento, athletarum curſus, variaque alia ſpectare certamina: *vide que de ſtadio infra adnotamus Lit. A.*

a) L. V. c. 2.

Atque hæ omnes erant partitiones quoquo latere & Gymnaſiorum & palæſtrarum. Summa vero majeſtas operis, ſeu præcipua moles in-

L me-

A) De hoc *ſtadio* ita Victruvios l. cit. *Poſt Xyſtum ſtadium ita figuratum eſt, ut poſſint hominum copiæ cum laxamento athletat certantes ſpectare.* Adparet igitur per *ſtadium* duo intelligi poſſe, *1mo* locum qoemdam in thermis & gymnaſiis, conſtructum per modum hemisphærii pluribus gradibus diſtincti, unde poterant conſidentes ſpectatores commode intueri athletas certantes. *2do* Locom aliom, in quo ſeſe curſores exercebant. Locus hic longus crat paſſos centom viginti qoinque, ſeu ſexcentos viginti quinqoe pedes Romanos. Unde patet pedem Græcum Latino longiorem nonnihil fuiſſe. Nam ex Herodoti & Suidæ ſententia, ſtadium græcum conſtat ex græcis pedibus non plos qoam ſexcentis. Igitor ſexcenti pedes græci æquantur ſexcentis viginti quinque pedibus Romanis. Conſtat id ex Plinio Hiſt. Nat. L. II. c. 23. *ſtadium*, inqoit, *centum viginti quinque noſtros efficit paſſus, hoc eſt, pedes ſexcentos viginti quinque.* Unde ſi calcolum ineas, deprehendes pedem græcum Semoncia longiorem eſſe pede Romano. Nam viginti quinqoe pedes qui ſexcentorum nomerum excedont, efficiont ſexcentas Semuncias, cum earum 24. in ono pede contineantur.

medio fuerat, quæ communes cum balneis ac multimodis earum miri artificii membris palæſtras habebat. Enarraturus itaque breviter has quoque partes, cum toties laudato Baccio a Natatione incipiam:

Erat *Natatio* in receſſu medio ab aquilone, longa pedes ducentos, lata centum; ponte ac arcubus ad interiores aditus bipartita. Huic a caſtello proximo aquæ emiſſarium adjacebat, quod per occultos tubos ferebat aquas. Parte ſuperiore Natationis viſebantur fontes varia ſpecie, ac Muſea (*Grotas* vulgo vocamus) quæ, teſte Plinio, *a*) ex pumicibus, ac eroſis vetuſtate ſaxis exſtructa ſpecus imaginem referebant, ac fiſtulis modo apertis, modo clauſis, vario blandiſſimoque ſalientium aquarum luſu, recentes ſemper aquas in Natationem ipſam fundebant, miris circum adhibitis ornamentis.

a) *H. N. L. XXXVI cap.* 21.

Præter hæc, quæ modo enumeravi, non pauca alia, eaque nobiliſſima membra Natationi proxima erant: Imprimis ab utroque fine ampliſſimæ ſtabant porticus, tum ad ſpectacula natationum, tum ad refrigeria conſtitutæ; aliæ item ſtylo minori ad altiorem proſpectum por-

porticus penſiles. Exeuntibus a porticu occurrebat deinde *Baſilica* peramæna, ubi convenirent omnes, qui vel in palæſtras venturi eſſent, vel in balneas: hæc plaſtices & picturæ ornamentis nitebat vel maxime. Hinc patebat aditus ad Diætam A), Baſilica non minorem, imo latiorem etiam. In atriis erant Periſtylia, ſeu circumcolumnia, quæ faciebant atrium oblongum trecentis pedibus, latitudine centum quinquaginta: ubi in porticu, ex parte orientali rurſum alia ſpectabantur ædificia, non tamen eodem ſemper ſitu, quem adſignat Victruvius. Primum igitur occurrit *Ephebeum* in medio, id eſt, Hexedra ampliſſima cum ſedilibus, quæ tertia item parte longior, quam la-

A) *Diæta* palatium fuit, ubi cænabant. Sueton. de Claud. c. 10. n. 2. ait: *In diætam cui nomen eſt Hermæum, receſſerat.* ridon. epiſt. 2. Ex hoc triclinio fit in *diætam ſeu cænatiunculam Sranſitus.* Diæta aliter etiam vocabatur *Zeta*, vel *Zetula*. Solebant enim antiqui duas illas literas D & I in Z contrahere; ita D. Ambroſio teſte de fide ad Gratian. c. V. diabolum dixerunt *Zabulum*. *Zabulus verum Dei filium fatetur*, inquit, *Arrius negat.* *Zetam* pro *diæta* habet Plinius L. II. epiſt. 17. *Qua mare contra parietem medium, Zeta perquam eleganter receſſit.* Lamprid. in Heliog. c. 31. *Odores indicos ſine carbonibus ad vaporandas Zetas jubebat incendi.*

ta, exercitiis ephcborum ſeu juvenum dicata fuit A)

A dextris Ephebei erat *Corticeum*, ſeu *Coryceum* a Coryco, quod videtur pilæ genus fuiſſe apud Galen. *a*) idem & *Choriceum* dicebatur, quia choreis quoque & ſaltationibus hic locus proprius fuit.

a) L. II. de ſanit. tuend.

Hinc ad *Frigidarium* ducebat iter, locum ventis perflatum, feneſtris amplis inſtructum B). ex hoc via in ſphæriſterium oblongum & ſimplex, ad pilæ ludum aptiſſimum. Inde ad *Elæotheſium*

A) *De Ephebeo* hæc ſunt Vitruvii verba L. V. c. 2. *Ephebeum in medio. Hoc autem eſt exedra ampliſſima cum ſedibus, quæ tertia parte longior ſit, quam lata.* Philand. *in Vitruv.* Baldus *in Lex. Vitruv.* Panvin. *de Lud. Circ.* & Argolus *ad Panv.* notant *Ephebeum* fuiſſe locum in palæſtra, in quo puberes exercebantur; imo erudiebantur etiam, & ſtudendi gratia ſedebant: quia, ſi recte ſcribit Panciroll. *de reb. deperd. & inv. p.* 159. item Choul. *de Antiq. Exercit.* quia, inquam, cum pauci libri fuerint veteribus, diſputando magis, quam ſcribendo ſeſe exercebant, eratque proinde Ephebeum inſtar Scholæ noſtræ. Ceterum Plinius junior, L. II. epiſt. ad Gall. deſcribens Villæ ſuæ Laurentinæ balneum, ejusque commoditates, diſerte etiam bibliothecæ meminit. *Adnectitur*, inquit, *in angulo cubiculum in apſida curvatum, quod ambitum ſolis feneſtris omnibus ſequitur. Parieti ejus in Bibliothecæ ſpeciem armarium inſertum eſt, quod non legendos libros, ſed lectitandos capit.*

B) *Frigidarii* meminit idem Plin. in epiſt. *ad Gall. Inde balinei*, ait, *cella frigidaria ſpatioſa & effuſa, cujus in contrariis parietibus duo bapsiſteria, velut ejecta ſinuantur, abunde capacia, ſi innare in proximo cogites.* Et in epiſt. ad Apollinar. *Inde apodyterium Balinei laxum excipit cella frigidaria, in quo baptiſterium amplum & opacum.*

ſtum ſeu cellam oleariam, de qua jam *præc. cap.* Sub hac jacebat *Coniſterium* A), ubi ſicco pulvere vel arena luctaturi ſeſe conſpergerent. Hinc ad *Propnigeum*, quod ſupra cum *præfurnio* vel *ſuffocatorio* idem eſſe diximus, ubi in verſura porticus, hoc eſt, ſupra intercolumnium quoddam, ſtabat *Laconicum*, *Concamerata Sudatio*, *Caldarium*; de quibus abunde jam egimus.

A Periſtylio autem atrioque intrantibus ad interiores palæſtras, occurrebant tres *porticus ſtadiatæ*, ex quibus media pars ampliſſima centum pedum latitudine, ſuper ingentes columnas teſtudine altiſſima prominebat, ita, Vitruvio auctore, facta, uti latera quæ ſunt utrinque ad columnas, margines haberent non minus pedum denum, reliqua vero planities octoginta pedum. Quæ quidem latitudo neceſſaria fuit, ne, qui circum in marginibus ambula-

 bula-

A) *Coniſterium* κόνισρα Polluei *Onom.* *L. III.* Latinis: *Pulverarium*. De hujus uſu loquitur Ovid. Met. IX. 36.

Ille cavis hauſto ſparſit me pulvere palmis,
Inque vicem fulvæ jactu flaveſcit arenæ.

Unde colligere licet athletas invicem ſe pulvere ſparſiſſe poſt unctionem, ut videlicet prehenſiones forent firmiores & non lubricæ. Pulvis *coniſterii*, quo ceroma hoc athleticum parabatur, ſæpe non vulgaris erat, ſed ex ægypto petitus. vide auctores *ſupr. cit. pag. præc. in not. Lit. A.*

bulabant, ab iis, qui ſeſe exercebant, impedirentur.

Præterea varias cryptoporticus, A) diverſa cavædia, B) hippodromos C) adjungi ſolitos: quis enim omnia enumeret? Et jam ſatis ex iis, quæ hactenus enumeravi, quanta tunc fuerit oportet thermarum amplitudo, quanta capacitas, liquet legentibus. Neque id mirum: nam, ut recte advertit Cl. Baccius, *non in templis tunc populus congregari conſuevit, quæ idcirco anguſta fiebant, ac ſuis quisque indigetibus ac penatibus erat contentus; verum conveniebant in thermis, quare & Xeniæ dictæ ſunt, quaſi hoſpitales & gratuitæ.* D)

Ceterum hæc accipienda ſunt de Thermis ac balneis Auguſtorum ævo ædificatis, quarum lu-

A) *Cryptoporticus* eſt ſubterranea porticus, quas antiqui in deliciis habebant ad vitandum æſtum. hinc Plin. l. V. c. 6. epiſt. 30. *Subeſt cryptoporticus, ſubterraneæ ſimilis, æſtate incluſo frigore riget.*

B) *Cavadium* eſt locus ſub dio vacuus, cinctus undique porticibus ad communem uſum. Grapal. *de port. Dom.* ait: Cavædium nos, ſi compluviatum eſt, nempe ſub divo, *Cortile* dicimus; ſi vero teſtudinatum; *anditum* appellamus.

C) *Hippodromus*, locus curſibus equorum deſtinatus. Sæpe pro *Circo* ſumitur.

D) Thermarum Xeniarum meminit Cic. *in orat. pro Cælio.* & *in orat. pro Sext. Roſc.*

luxus quantopere increverit, nemo melius, ac L. Annæus Seneca *a*) comparatione inſtituta veteris Rei balneariæ cum ea, quæ ſuo tempore invaluit, deſcribit. Juvat graviſſimi hujus Philoſophi verba hoc loco exſcribere. *Balneolum*, inquit, (Scipionis Africani) *anguſtum, tenebricoſum, ex conſvetudine antiqua. Non videbatur majoribus noſtris calidum, niſi obſcurum. Magna ergo me voluptas ſubit contemplantem mores Scipionis ac noſtros. In hoc angulo ille Carthaginis horror, cui Roma debet, quod tantum ſemel capta eſt, abluebat corpus laboribus ruſticis feſſum. - - - Sub hoc ille tecto tam ſordido ſtetit, hoc illum pavimentum tam vile ſuſtinuit. At nunc quis eſt, qui ſic lavari ſuſtineat? pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi parietes magnis & pretioſis orbibus refulſerint, niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſint, niſi illis undique operoſa & in picturæ modum variata circumlitio prætexatur, niſi vitro condatur camera, niſi Thaſius lapis, quondam rarum in aliquo ſpectaculum templo, piſcinas noſtras circumdederit; in quas multa ſudatione corpora exinanita demittimus; niſi aquam argentea epiſtomia fuderint. Et adhuc plebejas fiſtulas loquor? quid cum ad balnea liber-*

a) L. XIII ad Lucilium epiſt. 87.

libertinorum pervenero ; quantum ſtatuarum ; quantum columnarum eſt nihil ſuſtinentium, ſed in ornamentum poſitarum impenſæ cauſſa ? quantum aquarum per gradus cum fragore labentium? Eo deliciarum pervenimus, ut niſi gemmas calcare nolimus. In hoc balneo Scipionis minimæ ſunt rimæ magis quam feneſtræ, muro lapideo exſectæ, ut ſine injuria munimenti lumen admitterent. At nunc blactaria vocant balnea, ſi qua non ita aptata ſunt, ut totius diei ſolem feneſtris ampliſſimis recipiant ; niſi & lavantur ſimul & colorantur ; niſi ex ſolio agros & maria proſpiciunt. Itaque quæ concurſum & admirationem habuerant, cum dedicarentur, hæc in antiquorum numerum rejiciuntur, cum aliquid novi luxuria commenta eſt, quo ipſa ſe obrueret. At olim & pauca erant balnea, nec ullo cultu exornata. Cur enim ornaretur res quadrantaria, & in uſum, non in oblectamenta reperta ? Non ſuffundebatur aqua, nec recens ſemper velut ex calido fonte currebat, nec referre credebant, in quam pellucida ſordes deponerent. Sed, dii boni ! quam juvabat illa balnea intrare obſcura, & gregali tectorio inducta, quæ ſcires Catonem tibi ædilem, aut Fabium Maximum, aut ex Corneliis aliquem ma-

manu ſua temperaſſe. - - - Quantæ nunc ruſticitatis damnant aliqui Scipionem, quod non in caldarium ſuum latis ſpecularibus diem admiſerat; quod non in multa luce decoquebatur, & ſpectabat, ut in balneo concoqueret. O hominem calamitoſum! neſcit vivere. Non pacata aqua lavabatur, ſed ſæpe turbida, & cum plueret vehementius, pæne lutulenta. Nec multum ejus intererat, an ſic lavaretur; veniebat enim, ut ſudorem illic ablueret, non ut unguentum. Hæc Seneca: qui de ampliſſimis palæſtris, gymnaſiis, Xyſtis nullam hic facit mentionem; forte nondum conſvetudinis tunc Romanæ erat hæc in thermis tantopere extendere, ſed ut Vitruvii, ita Senecæ ætate ſufficiebant adhuc ad exercitia tum campus Martius, tum Agonalis, Circi denique, & plateæ, totque alia extra Thermas exercitationum loca publica* & privata: donec producto urbis imperio, ad Græcorum æmulationem illa quoque Thermis acceſſere.

Diocletianæ profecto Thermæ in eam excreverunt molem, ut Cl. Baccius e veſtigiis in earundem area remanentibus collegerit, eas præter ſpatia undique platearum, & præter membra, quæ inferius ac ſuperius variis Ther-

marum miniſteriis ſerviebant, centrum continuiſſe partitiones vario, ac nobiliſſimo ordine.

§. II.

De Thermarum fine ac inſtitutis.

Thermarum, in quibus balnea conjuncta fuere palæſtris & gymnaſiis, præcipuus duplex erat finis. Primus videlicet ob diſciplinam juventutis, quæ ſic viribus corporis, honeſtaque æmulatione prævalere adſueſceret: alter ob valetudinem tuendam. Undè Galenus *a*) modo Balnea *Recuratoria* virium eſſe dixit, modo Exercitia *Præparatoria* ab balneum. Idem ex his Martialis verſibus colliges *b*):

a) lib. de tuen. San.

b) L. VII. epigr. 31.

Non pila A), *non follis*, B) *non te paganica* C) *Thermis*,
Præparat, *aut nudi ſtipitis ictus bebes.*

Va-

A) Inventionem pilæ luſoriæ Lydi ſibi venditant apud Herodot. I. p. 45. *Tum igitur inventus ab iisdem aleæ, teſſerarumque ludus, & pilæ.* Alii tamen aliis pilæ luſoriæ inventionem attribunt, forte quia plura erant pilarum genera. Fuit hic ludus præcipuæ apud veteres commendationis, quo viri etiam provectioris ætatis, & genere illuſtres exercendi corporis, & animi relaxandi cauſſa utebantur. Auguſtus ipſe apud Sveton. c. 83. *Ad pilam primus, folliculumque tranſiit.*

B) *Follis* hoc loco pilam magnam ſignificat ex aluta confectam, ſoloque vento repletam (noſtri vulgo *Balon* vocant) Hæc ſi ma-

Varra nec injecto ceromate A) *brachia tendis*,
Non harpaſta B) *manu pulverulenta rapis.*

M 2 Ute-

major erat, brachiis impellebatur, & ſimpliciter interdum pila dicebatur. Hinc Propertius ait L. III. eleg. 12.

Cum pila veloces fallit per brachia jactus.

Sin minor: pugnis ejiciebatur, & *follis pugillaris* adpellabatur, hinc Plautus Rod. III. Act. 4. · *extemplo hercle ego te follem pugillatorium faciam.*

Eadem hæc pila *folliculum* dicta eſt; & quia nimium levis erat, ea & pueri, & ſenes imbecilles ludebant; quapropter Martialis ait l. XIV. epigr. 47.

Ite procul juvenes, mitis mihi convenit ætas:
Folle decet pueros ludere, folle ſenes.

Quam antiquus hic luſus ſit, inde collige; quod jam Homerus narret Phæacium juventutem eo ſe exercuiſſe, dum ait Odyſſ. VIII. v. 372.

Ille pilam dextra miſſurus ad aſtra, reflectit
Terga retro: rurſusque ad magnum protinus ictum
Conſurgens, terram procumbit pronus ad imam.

C) *Paganica* pila fiebat ex corio plumis ita repleto, ut eſſet longe durior quam *follis*. Dicta eſt *paganica*, quod admodum vulgaris eſſet, atque in villis, quæ pagi vocabantur, vel in pagis urbis maxime in uſu haberetur.

A) *Ceromatis* vocabulo intelligitur 1mo oleum ceratum, quo luctaturi perfundebantur. Plin. Hiſt. Nat. L. XXXV. c. 13. *De terræ uſu in ceromatis, quibus exercendo juventus noſtra corpora & vires animorum perdidit.* Luctaturi ſæpe, poſtquam oleo inuncti erant, alii luto ſeſe totos opplebant, alii pulvere ſeſe adſpergebant; hinc apud *Tertull. de Pallio c.* 4. etiam *lutea unctio*, & *pulverea volutatio*; illa græce ἡ πήλωσις, hæc ἡ κόνισις dicta eſt. 2do intelligitur locus, in quo athletæ oleo cerato ungebantur. Senec. *de Brev. vitæ.* c. 12. „*Qui in ceromate* ſpectator puerorum rixantium ſedet.„ Plin H. N. l. XXXV. c. 2. *Palæſtras athletarum imaginibus, & ceromata ſua exornant.*

B) *Harpaſtum* itidem pilam parvam e corio ſignificat, quæ in terram projecta celerrime volutabatur, & cum eam multi ſimul arripere conarentur, pulvere & ſudore multo inficiebantur: unde laborioſum erat hoc ludi genus, ac nonniſi grandioribus conveniens. Eh

quam

Utebantur deinde veteres balneis etiam ad laſſitudinem tollendam, ſudoremque ac pulveres abſtergendos. Aperte hos fines indicat Plato *a*) hiſce verbis: *ubique autem in iis gymnaſia juvenes tam ſibi commoda, quam ſenibus præparent; calidis balneis conſtitutis, & copioſe ſiccis lignis appoſitis, ut & remedium ægrotantibus, & lenimen labore defeſſis agricolis afferantur; quæ ſane curatio longe melior eſt, quam medici parum periti medela.* Et Plautus *b*): *Nunquam ædepol omnia balnea mihi hanc laſſitudinem adimerent.* Plutarchus vero teſtatur Alexandrum magnum ex pugna laſſum ad balneum Darii victi properaſſe: *Confeſtim*, inquit, *armis exutis ad Balneum proceſſit dicens: eamus ad abluendum Darii Balneo ex pugna ſudorem.*

a) *Dialog. VI. de Legib.*

b) *in Mercat.*

Denique non pauci ſolius voluptatis cauſſa utebantur balneis, quos perſtringit Plutarchus *c*) dum ait: *Alii gulæ, & deliciarum cauſſa pro-*

c) *de cu- rand. Valet.*

---

quam multa antiqois pilæ genera fuerunt. *Pila* minor quam ſimplici nomine pilam hoc loco dicit Martialis, alibi *trigona*, vel *trigonalis* dicitur, vel ſcilicet a loco triangulari, in quo ludebatur, vel potius a ludentium numero, figora, & ſitu. Ex qoadam inſcriptione Romæ anno 1591. menſe Janoar. ſob Innocentio IX. reperta, *pilæ vitreæ* luſum indu-xiſſe colligitur Urſos Togatus. ſic enim habet: URSUS TOGATUS VITREA QUI PRIMUS PILA LUSI DECENTER CUM MEIS LUSORIBUS - - vide Velſer. *Rer. Aug. p.* 243. & Grucher. *Inſcript. p.* 637.

projiciunt ſe. ipſos in Balnea, feſtinantque ad eſcas.

Optime omnium Clemens Alexandrinus, quomodo Balneis utendum ſit, indicat *a*): *Balnei*, inquit, *quatuor ſunt cauſſæ, per quas ad ipſum accedimus, vel enim cauſſa munditiei, vel caloris, vel ſanitatis, vel poſtremo voluptatis: ſe ergo voluptatis cauſſa lavare rejiciendum eſt. Sumendum eſt lavacrum mulieribus quidem mundationis cauſſa & ſanitatis; ſolius autem ſanitatis Viris.*

a) L. III. pædag. c. 9.

Ceterum priſci Romani etiam ob rariorem lini uſum, & propter frequentia corporis exercitia Thermas ac balnea ſæpius adibant.

Moris autem fuit in balneis recurvo quodam inſtrumento uti ad fricandum corpus, ſudoremque eliciendum, & ad ſordes abſtergendas. Inſtrumentum id genus, quod *ſtrigilis* A) vocabatur, in Tab. II. repræſentamus. Erat *ſtrigilis* vel ex ære, vel ex oſſe. Delicatiores, aut valetudinis imbecillioris homines *ſpongias* ſtrigilum loco adhibebant: id ex Plinio *b*) con-

b) L. XXXI. cap. ult.

A) Pers. *Sat.* V. *I puer, & ſtrigiles Criſpini ad balnea defer.* Et Juvenal. *Satyr.* 3. *Et ſonat unctis ſtrigilibus.* Eleganter dicitur *diſtringere* pro fricare ac detergere ſtrigilibus.

conſtat: ſpongiæ *præſtant*, ait, *& ſtrigilum vicem, linteorumque affectis corporibus.*

Formam ſtrigilis peculiarem, uti & ampullæ (quæ *Guttus* dicebatur, quod ex ea guttatim effunderetur oleum in Balneis) deſcribit minutim Apulejus *a*): *Magno in cœtu prædicavit fabricatam ſibi ampullam quoque oleariam, quam geſtabat lenticulari forma, tereti ambitu, preſſula rotunditate, juxtaque ſtrigeleculam recta faſtigiatione clauſulæ, flexa tabulatione ligulæ, ut & ipſa in manu capulo moraretur, & ſudor ex ea rivulo laberetur.*

Nempe uncti oleo, ſtrigilibus radebantur, ut recte Eruditus Caſalius *b*) notat; deinde linteis ad id paratis tergebantur.

Severi Alexandri ætate ante ſolis occaſum claudebantur Thermæ teſte Vopiſco *in Tacito*: *Thermas omnes ante lucernam claudi juſſit.*

Lavationis hora conſueta fuit ab octava ad nonam. Patet ex Martiali:

Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris.

Hadrianus Imperator, ut Spartianus refert, *ante octavam horam in publico neminem niſi ægrotum lavari paſſus eſt.* Hyeme vero ante *nonam horam* non fuiſſe moris ingredi balneum ſcri-

a) L. II. florid.

b) De Urb. ac Rom. Imp. Splend. pag. 319. edit. Rom. 1650.

ſcribit Plinius *a*): *Ubi hora* inquit *Balnei nunciata eſt (eſt autem hyeme nona, æſtate octava) in ſole, ſi caret vento, ambulat; deinde movetur pila - - -. lotus accubat, & pauliſper cibum differt.* Ex quibus Plinii verbis id quoque colliges: *Antiquos ante cibi ſumptionem balneo uti conſueviſſe.* Id quod Apulejus *b*) confirmat, qui ſic Aniculam ſicarios quosdam, menſa jam inſtructa, alloquentem inducit: *At vobis fortiſſimi, fideliſſimique hoſpitatores Juvenes; affatim cuncta ſvavi ſapore percocta pulmenta præſto ſunt: panis numeroſus, vinum probe calcibus efficatis affluenter immiſſum, & ex more calida tumultario lavacro veſtro præparata.* Tum ingreſſum eorum qui cœnaturi erant, in balneum, ſic proſequitur: *In fine ſermonis hujus ſtatim ſeſe deveſtiunt, nudatique, & flammæ largiſſimæ vapore recreati, calidaque perfuſi, & oleo peruncti menſas dapibus largiter inſtructas accumbunt.*

a, L. III. epiſt. I. ad Calvaum

b) L. IV. Metam.

Non pauci erant, qui tamen poſt cibum etiam Balnea ingrederentur; conſtat id ex Perſio *c*), qui hunc abuſum carpit in aliquo, hiſce verſibus:

c) Satyr. 3.

Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur:
Gutture ſulphureas late exhalante Mephites.

Item

Item ex Juvenali *a*), qui ait:

a) Satyr. I.

Turgidus & crudum pavonem in balnea portas.

Quorundam tanta fuit intemperantia, ut citra ullam aut regulam aut menſuram, veſpertinis etiam horis ad balnea itaverint. Hinc apud auctores non raro leguntur & meridianæ, & veſpertinæ, & nocturnæ lavationes. Idcirco non deerant in Thermis Lychni ænei penſiles, græca forma elaborati, qui *monomixi*, *dimixi*, *trimixi*, *polimixi* dicebantur, prout angulorum & luminum, unius, duorum, trium, pluriumve fuerunt; quorum genera invenies apud Athenæum *b*) deſcripta.

b) Dipnoſoph. L. XV.

Fruſtra igitur his fuerat ſonitus tintinnabuli, quo conſueta lavandi hora in thermis publicis indicari ſolebat, juxta illud Martial. *c*)

c) Lib. XIV. epigr.

Redde pilam, ſonat æs Thermarum: ludere pergis?

Virgine A) *vis ſola lotus abire domum?*

Sed hæc ab aliis quoque jam dudum pertractata ſunt. Itaque ſi quis plura de ritu inſtitutisque thermarum cognoſcere cupit, is præter laudatum Cl. Andreæ Baccii de veterum thermis

A) Vide quæ de Virgine aqua ſupra adnotavimus C. III. §. I.

mis opus non inutiliter conſulet elegantem Guillelmi du Choul de antiquorum Balneis tractatum; imo & in Muſæo Kircheriano a P. Philippo Bonanni eruditis explicationibus & iconibus illuſtrato, non pauca, quæ ad rem balneariam veterum pertinent, reperiet.

CAPUT V.

Rationes, ob quas Monumentum noſtrum non privati, ſed publici cujusdam balnei Romani pars fuiſſe videtur.

NUſpiam quidem aut plura, aut magnificentiora balnearum ædificia extiterunt, ac in ipſa Urbe Roma: A) verum extra illam quoque non pauca erant in Coloniis & Municipiis conſtructa, ut ex antiquis ſcriptoribus, & earum ruderibus colligere licet. Ita Plinius junior, Pruſenſis & Claudiopolitani, Ammianus Marcellinus Sabarienſis & quidem Regii lavacri

A) Si Pub. Victori fides, octingentis plures quæ privatæ, qua publicæ balneæ Romæ numerabantur. Omnium maximæ fuerunt thermæ Diocletianæ, & ante has Antoninæ: præter has celebriores erant Thermæ Agrippæ, Neronis, Titi, Domitiani, Trajani, Hadriani, Philippi, Heliogabali, Aureliani, Taciti &c.

meminere; & paucis abhinc annis intra vicum S. Petronellæ, ac vetus Teutoburgum, ubi olim Carnuntum, Pannoniæ ſuperioris præcipuum Municipium ſteterat, luculenta Balnei Romani rudera detecta ſunt. Sed hoc privatum fuiſſe balneum ex Viennenſium recenſionibus anno 1774. factis intelligo; noſtrum hoc autem Budenſe ut publicum fuiſſe credam, hæc mihi ſunt indicia: 1) inſcriptiones tegularum hiſce ex ruderibus effoſſarum non privati cujuspiam hominis, verum Legionis Romanæ, & cohortis nomina, quæ parte altera horum commentariorum vulgabimus, exhibent. 2) In vicinis huic monumento locis, hortis nempe, cellis vinariis, villisque colonorum rudera inveniuntur, quæ quaſi plurium cryptoporticuum, cavædiorum, gymnaſiorum, palæſtrarum veſtigia eſſe adparent, qualia nempe circum publica priſcorum Romanorum balnea eſſe ſolebant. Opinionem hanc firmat vetuſta inſcriptio, quam de Schola ſpeculatorum infra ex Lazio adducemus. 3) Ex aliis monumentis & inſcriptionibus itidem parte altera vulgandis dubitari nequit, quin & ſuos aquæ ductus, qualium in balneis publicis uſus erat, hæc Romanorum ſedes

des olim habuerit. 4) Cum e ruderibus hodiedum extantibus pateat, non mediocre ſed amplum omnino municipium ad hanc Iſtri ripam aliquando floruiſſe, idcirco prorſus credibile mihi eſſe videtur, Romanos non contentos iis thermis, quas forte illis jam tum natura præparavit iisdem in locis, in quibus hodie viſuntur, alias ampliores in majori planitie, quam illæ eſſent, ſibi extruxiſſe; non tantum ad commoditatem videlicet, verum ad ornamentum etiam municipii. Certe enim apud priſcos Romanos Balneæ inter illa cenſebantur ædificia, quæ ad ornatum civitatum ex ærario publico erigi conſueverunt: perſpicue id colligitur ex nonnullis C. Plinii ad Trajanum epiſtolis, quarum una ſic habet: *a*) „ Pruſenſes, „ Domine, balineum habent & ſordidum & „ vetus, id itaque indulgentia tua reſtituere de- „ ſiderant: ego tamen æſtimans novum fieri „ debere, videris mihi deſiderio eorum indul- „ gere poſſe; erit enim pecunia, ex qua fiat; „ primum ea quam revocare a privatis & exi- „ gere jam cœpi: deinde quam ipſi erogare „ in oleum ſoliti, parati ſunt in opus balinei „ conferre, quod alioqui & dignitas civitatis,

a) *L. X. ep. 34. edit. Francof. an. 1611.*


a) *L. X. ep. 75. cit. edit.*

b) *L. X. epiſt. 48.*

„ & ſeculi tui nitor poſtulat. „ Et in altera *a*) „ Per hoc, inquit, „ conſequentur, ut fœdiſ„ ſima facies civitatis ornetur, atque etiam, ut „ ipſa civitas amplietur - - - - &, ſi permiſe„ ris, cogito in area vacua balneum colloca„ re: eum autem locum in quo ædificia fue„ runt, exedra, & porticibus amplecti, atque „ tibi conſecrare, cujus beneficio elegans o„ pus, dignumque nomine tuo fiet. „ Rurſus in aliis ad eundem literis *b*) petit, ut ad balineum Claudiopolitanis erigendum Architectus ex ipſa Urbe mitteretur; ubi ſimul improbat conſilium Claudiopolitanorum, qui Balineum loco arcto, ſub colle quodam exſtruere volebant. En quam nullis parcebant ſumptibus Romani, ut in municipiis etiam balnearum ædificia commoda & ſplendida non deeſſent.

Ceterum ſi quis Plinianas epiſtolas, præcipue *L. II. epiſt.* 17. *ad Gallum*; itemque *L. V. epiſt.* 16. *ad Apollinarem* attente pervolvat, multa præterea inveniet, quibus ea, quæ ſupra de priſcis Romanorum balneis diximus, mirifice illuſtrari poſſunt.

PARS



PARS ALTERA

DE

NONNULLIS ALIIS MONUMENTIS ET IN-
SCRIPTIONIBUS.

CAPUT I.

De Numo Philippi Rom. Imp. hic reperto.

IN Rudere hactenus deſcripto bini ſunt effoſſi Romanæ fabricæ Numi. Horum alter æreus vetuſtate adeo exeſus eſt, nullum ut fere ſeu literarum, ſeu figuræ veſtigium agnoſcere poſſis: at vero alter argenteus moduli ſecundi, a terreis particulis repurgatus tum literas, tum figurarum ductus omnes nitidiſſime exhibuit, dignusque viſus eſt, cujus iconiſmo paginæ hujus frontem exornaremus.

Pars adverſa, ut vides, caput corona radiata cinctum refert, ad pectus cum paludamento. Epigraphe: IMP*erator* M*arcus* IUL*ius* PHILIPPUS AUG*uſtus*.

Averſa typum habet æquitatis, ſeu Mulierem ſtolatam, quæ dextra extenſa bilancem, ſiniſtra cornucopiæ tenet. Epigraphe: ÆQUITAS AUGG. id eſt, Auguſtorum duorum: Senioris nempe & Junioris Philippi.

Numi Philipporum, ſpectato metallo, ſoli aurei utcunque rari ſunt; ex ære autem & argento frequentes ac obvii in eruditorum Cimeliis inveniuntur. Quin hic etiam Æquitatis typus in Romanorum Impp. illius ævi monetis perſæpe obſervatur, vel ſcilicet cum eadem prorſus epigraphe: ÆQUITAS AUG. vel AUGG. vel cum ſequentibus; MONETA AUG. vel AUGG. vel SACRA MONETA AUG. vel (præſertim ævo Diocletiani & Conſtantinorum) SACRA MONETA AUGG. ET CÆSS. NN.

Nihilominus tamen Numus hic noſter duplici ſeſe commendat nomine: primum, quod in hujusce potiſſimum ædificii ruderibus repertus eſt; dein quod cum hoc typo & hac epigra-

graphe caput non Senioris, verum Junioris Philippi repræſentat.

Ex primo enim haud improbabili conjectura colligi poſſe exiſtimo; Laconicum illud noſtrum, Caldariumve jam Philipporum ævo hic ſtetiſſe, ac proinde intra annos æræ vulgaris 244. & 249. Hoc enim temporis intervallo Marcus Julius Philippus Romanis imperavit, & filium Imperii conſortem fecit.

At enim, inquies, poterat hic numus longe ſerius poſt fata Philipporum huc inferri. Poterat ſane; neque hoc diffiteor: veriſimilius tamen eſſe, Philippis adhuc viventibus ac regnantibus, aut certe non multo poſt eorum interitum hanc monetam ad hunc locum deveniſſe, id nunc paucis oſtendo.

Ingreſſuri balneas publicas Balneatori mercedem perſolvere debebant: id certum eſt, atque exploratum ex auctoribus coævis A): igitur

A) Quadrantem unum ſolvebant balneatori homines fortunæ tennioris: patet ex Horatio *L. I. Sat* 3.

. . . . *Dum tu quadrante lavatum*
Rex ibis.

Quo quidem loco Venuſinus Poeta ridet virum nobilem, & inter ſuos principem, qui ſolitus fuerit publicis in balneis promiſcue cum plebe, a qua exigebatur *quadrans*, lavari, cum privato poſſet uti lavacro.

De

tur qui balneas frequentabant, non aliam potius, quam uſitatam, atque, ut vulgo dicimus, *currentem*, id eſt, regnantium, vel non ita pridem extinctorum Principum monetam ſecum eo intulerint, eſt neceſſe. Quid autem hinc conſequitur, niſi quod præmiſimus? Ex hoc nempe numo his in ruderibus invento veriſimilem de antiquitate ædificii conjecturam fieri poſſe:

non

De hoc *quadrante* & Juvenalis *Sat*, 6.

Cædere Sylvano porcum, & quadrante lavari.

Hinc Cicero *in Orat. pro Cœlio: quadradantariam* vocat *permutationem*, quæ balneatori fieri ſolebat. Et ſeneca: balneum *rem quadrantariam* vocat *L. XIII. epiſt.* 87. *ad Lucilium.*

Erat autem quadrans quarta pars aſſis, quæ *Teruncius* aliter vocabatur ob tres uncias, quibus æquivalebat: patet id ex Plinio L. XXXIII. c. 13. *Quadrans*, inquit, *antea teruncius vocatus a tribus unciis*, Male igitur quidam *Teruncium* cum *Triente* confundunt: nam *Triens* tertiam aſſis partem ſignificat, ac proinde quatuor uncias continet. Unde colliges pro argenteo Philippi numo hic invento, qui Denarii Romani valorem habebat, eratque diurnum militis ſtipendium, potuiſſe quadrageſies aliquem publicas ingredi Balneas, ſi Denarius eo tempore decem permutabatur aſſibus; pluries imo, ſi pluribus; ut nonnumqoam fiebat. Pluſculum Tamen pendendum erat, cum quis privatam poſcebat lavationem, vel horis non conſoetis Balneum adibat: colligitur iſtud ex Martiali *L. X. epigr.* 70.

Balnea poſt decimam laſſo, centumque petuntur
Quadrantes.

Eximii a ſolvendi neceſſitate fuiſſe videntur pueri, qui nondum pubertatis annos, ſeu XIV. (juxta alios XVI.) ætatis annum attigerant: ſic enim Juvenalis *Satyr.* 2.

Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lavantur.

Quandoque, rarios tamen ac nunniſi in communi gaudio gratuita balnea præſtabantur a Principibus, uti de Agrippa Dio Caſſius, de Antonino Pio Capitolinus teſtantur.

non quaſi ſcilicet ſub his Philippis haſce balneas ædificatas fuiſſe adfirmemus, ſed eas ſub his Principibus jam ſtetiſſe ut prudenter ſuſpicemur: Atque hæc prima eſt Numi noſtri a loco, in quo erutus eſt, commendatio.

Ad alterum quod attinet: Caput Philippi Junioris cum titulo Auguſti, ac typo æquitatis ex parte averſa poſito, raritatem certe præſenti Numo conciliat, augetque pretium. Nam in pleriſque aliis & Cæſar tantum hic Philippus nominatur, & non facile cum æquitatis figura ex parte altera, invenitur, utut hæc ordinaria ſit, ac vulgaris in Philippo patre, adeo ut niſi vultus imberbis tenerque prohiberet, hunc quoque numum patri potius quam filio adſcriberemus.

Erat autem Philippus hic junior, patre Philippo, quem Arabem vulgus adpellat, & Marcia Otacilia Severa, Matrona Chriſtiana, prognatus: Adoleſcens ſeveri triſtisque adeo animi, ut ad ridendum nullo unquam impelli lenocinio potuerit, unde & Ἀγέλαστος dictus eſt. Imo, quemadmodum Sex. Aur. Victor, & Pomponius Lætus perhibent, ipſum patrem quum forte in ludis ſecularibus inſolentius cachinna-

retur, averſo vultu quaſi reprehendens notavit.

Hunc Parens mox ab occiſo Gordiano III. Cæſarem nominavit; quonam tempore autem Auguſti eundem titulo auxerit, non perinde liquet. Vaillantius *a*) id factum opinatur, cum Philippus Pater ad bellum contra Carpos profectus eſt, idque probat ex numis quibusdam, in quibus uterque Philippus in equis, velut ad hanc expeditionem decurrentes conſpiciuntur cum epigraphe: VIRTUS AUGG. Harduinus *b*) uno prius anno, id eſt, 246. poſt Chriſtum natum; Urbis vero Conditæ 999. id factum exiſtimat. Quicquid ſit, in eo convenit omnibus (ſi excipias Harduinum, qui in genealogiis ac vitis Rom. Impp. texendis diſcedit ab omnibus) traduntque Philippum ſeniorem poſt quintum Imperii annum, ſeu ſexto inchoato, cum contra Decium, quem Illyricianus exercitus Imperatorem ſalutavit, moviſſet, a ſuis militibus Veronæ trucidatum fuiſſe, medio capite ſupra dentium ordines præciſo: Juniorem autem, quem Numus noſter exhibet, non multo poſt Romæ interfectum eſſe, anno ætatis duodecimo.

a) *Num. Imp. Rom. præſt. pag.* 334.

b) *Hard. Oper. Select. pag.* 833. *Col.* I.

Sex-

Sexto Aurelio Victori hic junior non Marcus Julius Philippus, ſed Cajus Julius Saturninus vocatur: forte hæc illi nomina fuere prius, quam a patre in ſocietatem Imperii adſciſcetur: nam poſtea in numis ac inſcriptionibus conſtanter eadem prorſus, quæ Patri, nomina eidem attribuuntur; ab aliis quoque hiſtoricis nunquam alio quam Philippi junioris nomine deſignatur.

CAPUT II.

De Laterculis, eorumque inſcriptione.

EX eodem monumento cœptæ antiquitatum collectioni tres intulimus Lateres charactere Romano conſpicuos. Horum unus reliquis duobus magnitudine multum præſtat. Longus eſt duos pedes Viennenſes cum ſeſquialtero pollice: Latus pedem unum ac tres fere pollices; profundus haud amplius quam 1½ pollicem.

In hoc Latere igne probe percocto hæc ſingularia occurrunt: Planta pedis impreſſa, in qua opere figlino prominent idgentes literæ LG$\overline{II}$ADP*F*. & Canaliculus quidam cavus ex

margine dextro verſus extimum pedis digitum productus. In eadem præterea linea ex altero fine, intervallo ſemialterius pollicis ab extimo margine ſiniſtro, pertuſum de induſtria quoddam haud magnum foramen. Demum in longioribus ejusdem lateribus, qua integri ſunt, limbus inflexus ac velut hamatus.

Plantam cum canaliculo & characteribus ea prorſus magnitudine, qua in Latere ipſo viſitur, æri incidi curavimus (vide *Tab II. fig.* 2.) Ejus enim longitudine certam ac determinatam veterum Romanorum menſuram exprimi Cap. ſeq. probabimus. Quid vero hæc inſcriptio ſibi velit, actutum expediemus.

§. I.

Explicantur vocum compendia, Literis in Laterculo expreſſis, contenta.

Quam vetuſtus fuerit mos nomina, atque ipſas etiam rerum memorias conſignandi laterculis coctilibus, inde collige; quod (uti Plinius perhibet) *a*) : jam olim Babylonii obſervationes ſiderum iis inſcribere ſolebant. *E diverſo*, inquit, *Epigenes apud Babylonios DCCXX. an-*

a) H. N. L. VII. c. 56.

annorum obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas docet, gravis auctor imprimis: qui minimum; Beroſus & Critodemus CCCCLXXX annorum. Addo teſtimonium Diogenis Laertii, qui Cleantem ea, quæ a Zenone audierat, in tegula oſſibus adnotaſſe ſcribit. A) Propius ad rem Cedrenus loquitur *a)*: ἡ πὰρ ἕλλησιν ὀπτὴ πλίνθος, λατέρκυλον παρὰ Ῥωμαίοις λέγεται, ἣν δὲ πλίνθος δημοσία ἐφ᾽ ἧ τότε τῶν β-

a) Cedr. Annal. pag. 140.

A) Olim apud Romanos *Libellus* vel *codex*, in quo præſcripta fuit ratio tum bellicarum, tum civiliom dignitatum, cum promotionibus magiſtratuum, formaque præſentis adminiſtrationis, quique ad modum regulæ ſimul ac Enchiridii habebatur, etiam *Laterculi* nomine adpellabatur. Cojusmodi duplex erat poſt Imperii diviſionem; major unus, qui magiſtratus omnes tum civicos, tum militares cum eorum copiis continebat; minor alter, qui complectebatur indiculum & notitiam eorum militum, qui limites tuebantur, cum ſuis Præfectis, Tribunis, & Præpoſitis caſtrorum. Hujusmodi *laterculorum* frequens occorrit mentio apud Veteres & in Jore civili. Sont, qoi *Laterculum* dictum putent a *latendo*, qooniam ſecretiora conſilia & arcana ibidem laterent; ſed hanc obſervationem Cl. Carolus de Aquino *Lex. Milit. part. I.* merito *frivolam* eſſe dicit. Alii a forma qoadra, qualis Laterculis coctilibus dabatur, derivant denominationem iſtam. At mihi Aquini ſententia præplacet *ibid. pag.* 535. qui id genus *libellos* ab antiquiſſima in coctilibus Laterculis res hujosmodi inſcribendi ratione & conſvetudine *Laterculos* foiſſe dictos cenſet. Ita enim *chartas* conſcriptas atque compactas etiamnum vetuſta adpellatione *Libros* vocamus, quia primis temporibus in *Libris*, hoc eſt, in arborum corticibus interioribus ſcribebant antiqui, ac volumina ex his compaginabant. Ita pariter *tabulas* & *tabellas*, quæ tamen proprie ex arboribus proveniunt, hodie quoque noncupamus chartam, ſive linum ſubactum, in quo aliquid adnotamus. Ita denique Juris publici memoriam vocamus *Codicem*, quia in codicibus vel caudicibus, qui ſunt extimæ illæ arborum cruſtæ, ſive amicula, ex quibus cortices extrahuntur, mos erat antiquiſſimus ſcribendi. Vide Carolum de Aquino *loc. cit. v. laterculus.*

βουλευτῶν, καὶ τὰ τῶν στρατευμάτων ὀνόματα ἀπεγράφετο. Id eſt, *Later coctus Græcis plinthus, Laterculum Romanis dicitur. Erat autem later publicus, in quo Senatorum & Legionum nomina inſcribebantur.*

Idem confirmant Lateres complures Vindoboræ reperti, in quorum nonnullis LEG. X. *Gemina*; in aliis: LEG. XIII. G. in quibusdam LEG. XIIII. G. & in uno LEG XXXVV nempe Trigeſima *Vlpia Victrix*, vel, uti Grutero placet, *Valens Victrix* legitur. Qua de re vide Notitiam brevem de urbe Vindobonenſi *cap. I. pag.* 5. & *ſeqq.*

Idem denique arguitur ex hoc Laterculo, in quo literas ⅃G II ADP*F* dico eſſe harum vocum compendia: *Legio Secunda Adjutrix pia fidelis.* Nam imprimis LG. perinde ac LE. aut LEG. apud omnes Notarum Romanarum Interpretes LEGionem indicat. *a*)

Literæ primæ ⅃ forma hic expreſſa antiquitatem omnino ſapit: ejus enim baſis græcum Λ refert; ut ſcilicet ſicut plerosque alios Romanos characteres, ita iſtum quoque Alphabeto Græco ſuam debere originem intelligas. Non raro in antiquis quoque Numis ſimillima Literæ

a) *Vide. Sertorium Urſatum de Notis Rom.*

L forma occurrit; id quod potiſſimum in *L. Aelii*, *Lucillæ Auguſtæ*, *Severi Alexandri*, & *Gallieni* compluribus indubitatæ antiquitatis Numis, qui in Regiæ hujus Univerſitatis Bibliothecæ Numophylacio adſervantur, obſervaveram.

Quod autem in hac eadem inſcriptione litera *F* minore, quam reliquæ, quantitate exprimatur, id ſpatii intra memoratam figuram anguſtiis adſcribendum exiſtimo. Eædem, opinor, anguſtiæ fecerint, cur numerus ΙΙ itidem forma minore poſitus ſit. Imperiti ob virgulam tranſverſam duabus perpendicularibus imminentem dubitabant, an non græcum π indicaret? verum hæc virgula jacens frequenter ſuper aliis quoque literis numericis jam inde a Veſpaſiani ætate ad ſequiora usque tempora tam in numis, quam in Lapidum inſcriptionibus obſervatur; nec aliud ejus eſſe munus auguror, quam ut literam, cui incumbit, non vocis cujuspiam principium eſſe, ſed numerum hic potius connotare admoneat. Quamquam fatendum eſt, eadem hac virgulæ tranſverſæ nota non raro apud veteres ſuppletum fuiſſe millenarium: nunquam

quam tamen dum aut Legionis numerum, aut Conſulatus annum ſignabat.

Porro AD. legi oportere *ADjutrix*; P, *pia*, F *fidelis*, quamvis Rei Antiquariæ peritis extra controverſiam eſt, in eorum tamen gratiam, qui in hoc forte diſciplinæ genere hoſpites ac peregrini vocum idgenus compendia pro arbitrio ſupplere ac interpretari antiquarios exiſtimant, paucis commonſtrabo.

Itaque 1) AD, legendum eſſe *Adjutrix* inde patet; quia tam ex Hiſtoricis, quam ex aliis monumentis, Legionem illam *ſecundam*, quæ in Pannonia inferiori ad limites Iſtri excubabat, reapſe *Adjutricem* fuiſſe adpellatam colligitur: ut videlicet ab aliis ejusdem numeri Legionibus Romanis cognomine iſto facilius diſcerneretur. A). Clarum eſt Dionis ea de re teſtimonium; *a*) qui *Secundam Adjutricem* a Veſpaſiano in Pannonia inferiori inſtitutam refert. Spartianus

ve-

a) *Hiſt. L.* 55.

A) Complures enim apud Romanos ejusdem numeri Legiones fuerunt, quibus, ut facilius diſcernerentur, varia adjungebantur cognomina. Sic præter Legionem II. *Adjutricem*, legitur, Legio II. *Auguſta*. Legio II. *Italica*. Legio II. *Macedonica*. Legio II. *Parthica*; item alia ejusdem numeri *Flavia*, vel *Armentaca*, vel *Trajana*.

vero *a*) teſtatur Hadrianum a Trajano Tribunum *Legionis Secundæ Adjutricis* creatum fuiſſe. A)

a) *Spart. in Hadr.*

In lapidum denique inſcriptionibus idem compendium AD non raro pluribus exprimitur literis nempe ADI. ADIUT. Unde nullum ſupereſſe dubium poteſt, quin LG. AD. legi debeat *Legio Adjutrix*.

2) P. F. indicare *piam fidelem* ſic oſtendo: In Gallieni Aug. Numis, & in Lapidibus vetuſtis extant inſcriptiones, in quibus Legioni I. VII. & XI. additur P. F. Atqui his literis *Pias Fideles* indicari indubitatum eſt; nam Tacitus diſerte refert, Legionem *primam*, quæ a Galba inſtituta, Romæ contra Vitellium Othonis dein partes tuita fuit, *Adjutricem Piam Fidelem* cognominatam fuiſſe. De *Septima* vero & *Undecima Legione* hæc ſunt Dionis verba: *b*) Κλαύδιος δὲ τεὼς μὲν πανκαλέδεισεν, ὥστε καὶ ἐθελοντὴς ἑτοίμως ἔχειν τῦ κράτους αὐτῶ ἐκστῆναι, τότε δὲ ἀναθάρσησας, τὺς μὲν στρατιώτας ἄλλοις τὲ τίσιν ἠμείψατο ϗ τῷ τὰ πολιτικά αὐτῶν στρατόπεδα, τό τε ἕβ-

b) *Hiſt.* pag. 953. cum not. Xiphil.

P δομον

A) *A Trajano*, inquit, *abductus Hadrianus a patria*, *& pro filio habitus, nec multo poſt Decemvir litibus judicandis datus, atque inde Tribunus Secundæ Adjutricis Legionis creatus fuit.*

δομον καὶ τὸ ἑνδέκατον, καὶ Κλαυδίεια, καὶ πιστὰ, καὶ ἐυσεβῆ, καὶ πρὸς τῆς βουλῆς ὀνομασθῆναι. *At Claudius, qui eatenus in tanto metu fuerat, ut paratus jam eſſet ultro principatu ei* (nempe Annio Viniciano rebellanti) *cedere, recepto tum animo, militibus cum aliis donis gratiam retulit, tum effecit, ut ex Legionibus Civium Romanorum VII. & XI. Claudianæ, Fideles & Piæ a Senatu quoque nominarentur.* Igitur patet rurſus, dum Legioni cuipiam additur P. F. legendum eſſe *Pia Fidelis.*

Quid multis? Jam dudum in hoc ipſo Budæ veteris oppido repertus eſt Lapis, in quo eadem Legio Secunda, Primæ conjuncta, integris legitur vocibus *Pia Fidelis.* En inſcriptionem ex Lazio, cujus partem Pancirolus quoque refert *a*):

SCHOLA. SPECULATORUM.
LEG. I. ET II. ADIUT. PIARUM. FIDELIUM.
SEVERINARUM. REFECTA. PER EOSD. QUO
RUM. NOMINA. INFRA. SCRIPTA. SUNT.
DEDICANTE.
FL. ÆLIANO. LEG. PR. PR. KAL. OCTOB.
MODESTO. ET. PROBO. COSS.

a) Comment. in Not. dign. Imp.

Quam-

Quamobrem certiſſimum jam eſt ⅃G$\overline{II}$ADP*F* in Laterculo noſtro inſcriptum, legi oportere; *Legio Secunda Adjutrix Pia Fidelis.* A)

§. II.

De aliis duobus Laterculis.

In altero Laterculo, ſive potius teſtæ cujuspiam fragmento ex iisdem ruderibus eruto cernitur ⅃E II A- - id eſt, uti ex antea dictis patet, LE*gio* *Secunda* A*djutrix*. In tertio: COH VIII BREMAX. lego: COH*ors* O*ctava* BRE*ucorum* MAX*imi.*

Cur autem literis BRE *Breucorum* vocabulum exprimi cenſeam, hæ mihi ſunt rationes: Nam 1) apud Sertorium Urſatum *de Notis Rom.* inter ceteras Lapidum inſcriptiones vetuſtas invenio etiam COH IIII BRE. item COH. III BREV. & COH $\overline{V}^{II}$ BREVC. 2) Inter ceteros Pannoniæ veteris populos *Breuci* quoque Strabo-

A) In Gallieni numis, quos Cl. Bandurius recenſet, habetur LEG. II. ADI. VI. P. VI. F. Item: LEG. $\overline{II}$. ADI. VII. P. VII F. id eſt: *Legio ſecunda ſextum Pia, ſextum Fidelis, & : ſeptimum Pia, ſeptimum Fidelis.* Unde patet Legioni huic ob nova in Principes & Imperium merita toties hunc titulum *Piæ Fidelis* renovatum fuiſſe.

boni, & Ptolemæo memorantur: pronum igitur eſt credere, accedente hujus tegu'æ inſcriptione, inter auxilia Legioni II. adjutrici Piæ Fideli adtributa, unam quoque Cohortem, hanc videlicet octavam, ex *Breucis* lectam fuiſſe. Id enim Romanis omni fere tempore uſitatiſſimum fuit, ut bellis ingruentibus complures gentium barbararum cohortes tanquam ſocias aut ſtipendiarias Legionibus civium adjungerent. Ejusmodi cohortium multa in Taciti annalibus nomina paſſim invenies, ut: *a*) *Batavorum*, *Teucterorum*, *Bructerorum*, *Breviorum*, *Chaucorum*, *Friſiorum*. *Erant*, inquit, *b*) *in civitate Lingonum cohortes Batavorum octo, quartædecimæ Legionis auxilia, tum diſcordia temporis a Legione digreſſæ.*

a) Annal. L. XX.

b) ibid. L. XVII.

Plinius *c*) *Breucos* una cum Colapianis in Pannonia Savia, ſeu intra Savum ac Danubium locat. Ptolemæus vero *d*) eosdem poſt Andiantes enumerat. A)

c) H.N. L. II. c.25.

d) Georg. L. II. c.16.

Nomine MAX*imi* hic addito ſive *Tribunum* Cohortis *Breucorum*; ſive *Figulum*; ſive poſ-

A) Cl. Lazius opinatur *Breucos* pro *Breucis* vitioſe apud priſcos auctores legi: ſed perperam hunc errorem Librariis attribuit uti manifeſtum eſt ex vetuſtis BREV. & BREVC. inſcriptionibus.

poſſeſſorem *Figlinæ*, ex qua hic later prodiit, intelligas, exempla, quibus lectionem firmare poſſis, non deerunt. Imprimis enim Cl. Lazius in Comment. Reip. Rom. complures recenſet lateres, in quibus Legionis nomini conjungitur nomen Præfecti, vel Tribuni ut: LEG. XIII. G. DR. id eſt *Gemina DRuſi* ſeu *Claudii Druſi.* LEG. XIII. G. AQUIL. intellige *Gemina Aquilii*, LEG. XIII G. MUC. *Gemina* MUC*iani* &c. Hæc eadem reperies in opuſculo ſupra cit. *Brev. Not. Urb. Vindob. anno* 1764.

Quoad *alterum* vero, de figulorum ſcilicet vel Tegulariorum nominibus in tegulis expreſſis, juvat audire Cl. Pighium, qui *in Hercule Prodic.* hæc ſcribit: Legionem *quintam Macedonicam in tegulis veterum Caſtramentorum his notis expreſſam reperimus L. V. MAC. in aliis cum ſola numerali nota, velut ſæpius a Tacito recenſetur, & adjectis Tegulariorum nominibus, qui figulinis illis præfuere, ſic: LEG. V. C. SEUI.* vel *LEG. V. P. SATRI.*

Verum malim hic ego C. SEVI. & P. SATRI. exiſtimare nomina eſſe præfectorum Legionis quintæ, quam Figulorum; quicquid Pighius & Urſatus aliter ſentiant. Horum enim

nominibus ipſum quoque opificii nomen TEG. vel FIG. in Laterum inſcriptionibus præfigi obſervo. En exemplum hujusmodi inſcriptionis ex Octavio Falconerio *a*) TEG. C. COSCONI FIG. ASINI. POLLIONIS.

a) in epiſt ad Carolum Datum

Pro *tertio* habes teſtimonium doctiſſimi Raphaelis Fabretti, qui paſſim in figlinis operibus multa Virorum ac fœminarum illuſtrium, quæ Dominæ erant prædiorum, in quibus Figlinæ conſtitutæ fuere, nomina occurrere perhibet. Quamquam & his nominibus plerumque præponitur EX. PR. & FIG. ut infra oſtendetur. Itaque in Laterculi noſtri inſcriptione nihil veriſimilius eſt de MAX. quam ſi nomen Præfecti vel Tribuni Cohortis octavæ Breucorum eſſe opineris.

§. III.

De notis Figlinis in genere.

Non immerito Cl. Fabrettus miratur, quînam fieri potuerit, ut diligentiſſimus cæteroquin antiquarum inſcriptionum inveſtigator Gruterus notas in figulinis Romanorum operibus ac præcipue tegulis & lateribus paſſim occurrentes tam leviter percurrerit; Urſatus vix at-

ti-

tigerit, plerique alii veluti rem minoris momenti ac ponderis penitus neglexerint; cum tamen, uti eruditus Falconerius in ſua ad Carolum Datum epiſtola præfatur, *abſolutiſſima ſcientiarum & artium ratio non in vulgari conſiſtat eruditione, ſed in illa interiore ac recondita; & ſæpenumero evenire ſoleat, ut ex parvis dictu contemptisque plus acquiratur cognitionis, quam ex iis, quæ in omnium oculos animosque magnitudine ſua ſplendoreve incurrunt, eosque ad ſe advertunt.* Et vero in multis Romanorum tegulis, ac operibus figlinis invenies notas, ex quibus vel tempora, quibus præclara quæpiam ædificia fuere poſita; vel uſum ædificiorum, quem ignorabas; vel veteres Dominos quorundam prædiorum & figulinarum & alia id genus diſcere poſſis.

Mos enim imprimendi aliquas notas in operibus Figlinarum pervetuſtus eſt, ut jam initio hujus Capitis demonſtravimus: & apud Romanos eo frequentior fuit, quo major apud eos operum fictilium invaluit uſus. A) Quippe non im-

A) *Apud Romanos*, ait Henricus Salmuth in notis ad Pancirolum tit. 2. part. 2. *figlina, ſeu fictilia opera tanto in uſu fuere, ut Numa Rex ſeptimum figulorum Collegium Romæ inſtituerit.*

imbrices tantum, Tegulæ, & Laterculi ex terra atque argilla fiebant, verum tabulæ etiam, lucernæ, candelabra, Vaſa omnis generis, Dolia ad Vina conſervanda, & ad aquas continendas, tubuli pro aquæ ductibus alii, & alii pro calidis vaporibus ex hypocauſto ad triclinia transmittendis: Immo multi priſcorum Romanorum erant; qui ſeſe defunctos quoque in fictilibus doliis aut urnis, quam in Sarcophagis marmoreis aut æreis condi maluere.

Atque horum fictilium pleraque ad posterorum memoriam ſignis literisque notare conſueverunt. Non eodem tamen modo; ſed jam in directum imprimebantur characteres, uti in noſtris Lateribus, & plerumque in tubis fictilibus aquæ ductuum: jam in gyrum vel ſimplicem vel geminatum efformabantur. Quem in finem ha-

---

rit. Ceterum Ill. Ciampinus c. 8. *veter. monim.* recte affirmat, quædam lateritii operis genera Romanos a Græcis tum primum accepiſſe, quum ſubacta Græcia reliquas quoque artes ad ſeſe derivarunt. Plurima autem opera lateritia cœperunt ævo Auguſti, & ſubſequentium Imperatorum, poſtquam forte major Servorum copia ob frequentes Cæſarum victorias in Urbem inducta eſt: tunc enim innumeræ Figulinæ officinæ ubique apertæ. Mos iſte perduravit, donec Italia ab exteris Nationibus excidium paſſa non fuit. Eruditus Fabrettus refert ſe inveniſſe laterem cum nomine Auguſti. Baronius *in appendice Tom.* 3. ſcribit ſe vidiſſe in demolitione antiquorum parietum Templi Vaticani a Conſtantino M. fundati magnos lateres, in quibus erat nomen Imperatoris Conſtantini.

habebant ſigilla ænea, quibus inſcriptiones in argilla, antequam exſiccaretur, imprimebant. Sigilla id genus ænea duodecim in Muſæo Kircheriano adſervata recenſuit, ac typis excudi fecit Cl. Pater Philippus Bonanni; quæ nunc, opinor, in Muſæum Clementinum translata ſunt cum ceteris Collegii Romani antiquitatibus. Inſcriptionum vero variæ erant formæ: [redacted]
Eruditus Fabrettus *a*) perhibet ſe inveniſſe præ ceteris antiquiſſimum figlinæ ſignum cum literis AUG. N. in latere ſub oppido Arſulartum ad primum Caſtellum aquæ Marciæ. Card. Baronius in appendice Tom. III. ſcribit ſe vidiſſe in demolitione antiquorum parietum Templi Vaticani a Conſtantino M. fundati, magnos lateres, in quibus ejusdem Conſtantini Imp. nomen effictum erat. Ceterum mos hic non ſolum Romæ, verum extra illam etiam per totum Romanum Imperium diu perduravit; nec apud Romanos tantum, ſed alias etiam apud gentes ad Romanorum imitationem diu obſervatus eſt. Ita laudatus Fabrettus ceteras inter tegulas recenſet aliquam cum hac inſcriptione:

a) c. 7. *antiquarum Inſcrip.*

✠ REG. D. N. THEODORICO
BONO ROMÆ.

Sed quid in externis moror exemplis, quando non deſunt domeſtica. Vidi ipſe partem tegulæ in vetere Buda repertæ, in qua forma ſigillari affabre expreſſa cernitur effigies LUDOVICI I. Hungariæ Regis in throno ſedentis, cum ſceptro liligero, & characteribus Gothicis nomen hujus Regis deſignantibus. Rarum hoc ac ſingulare figlinæ opus poſſidet, notum jam eruditis nomen, Cl. DANIEL CORNIDES: qui non ita pridem apud Ill. D. SEBASTIANUM de GRÖMER Rei Tormentariæ Vice-Colonellum, Virum ut literis, ita literatis addictiſſimum, orto forte de vetuſtis id genus figlinorum notis ſermone, præſtantem hunc Laterculum mihi, ceterisque præſentibus non ſine voluptate ſpectandum obtulerat A)

Porro inſcriptiones in Romanorum figlinis operibus, ut jam dixi, variæ ſunt. Ita e. gr. in-

A) Lateritii operis curam non poſtremam habuiſſe Ludovicum I. teſtatur hoc laterculorum genus, quibus Rex iſte, ob Factorum gloriam cognomento Magnus, effigiem ſuam nomenque, non ſecus ac monetis publicis, indulgere non eſt dedignatus. Credibile autem eſt, eos potiſſimum Lateres hoc velut ſigillo Regio munitos fuiſſe, qui pro ædibus publicis, Regiisque palatiis effingebantur, eo ſcilicet tempore, quo Ludovicus I. arce Viſſegradienſi relicta, ſedem Regiam ad hunc modernæ Budæ montem, qui prius *Montis novi Peſthienſis*, dein *Caſtri Budenſis* adpellationem habebat, transferre conſtituerat.

inter ceteros lateres ex vetuſti cujuſdam ædificii ruderibus, cum Panthei porticus Romæ anno 1661. inſtauraretur, erutis, reperit unum Cl. Octavius Falconerius, in quo ſequens erat inſcriptio literis figlinis in duplicem circulum diſpoſitis:

TERT. DLEX. F. CAN. OP. DOLI. I.
TIT. ET. GALL. COS.

Quam idem auctor ita legit: *a*) TERT*ullus* *Decii Libertus* EX *Figulina* CAN*onis* OP*eris* DOL*iaris* I. id eſt, *prima*.

TIT*iano* ET GALL*icano* COS ſeu *Conſulibus*. A)

a) Oct. Falc. in epiſt. ad Carol. Dat.

 In

A) Conſulatus iſte incidit in decimum annum Imperii Hadriani. Obſervat autem Cl. *Falconerius* nomina horum Conſulum in Proſperi Aquitanici Chronico a Labbæo edito, ordine inverſo poni; nempe: *Gallicanus* & *Cœlius Titianus*. In Idatii tamen Faſtis a Labbæo pariter editis eundem omnino, qui in memorato Latere, ſervari ordinem, id eſt: *Cœlius Titianus* & *Gallicanus*. Juvat rationes quoque compendio referre, quibus compendia illa ita, ut ipſe legit; interpretanda eſſe probat. Imprimis igitur EX F. legendum eſſe *Ex Figulina*; oſtendit exemplo aliorum Laterculorum, in quibus EX FIG. Deinde CAN rite *Canonis* hoc loco intelligi demonſtrat ex eo, quod vox *Canon* apud Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores frequenter certam cujusvis rei denotat quantitatem, imo certum quoque annuum tributum. Sæpe enim populus & civitates certum laterum coctorum numerum Imperatori vel pro tributo, vel ad operum publicorum inſtaurationem conferre debebant: ut igitur in tanta figlinarum, quæ Romæ fuerunt, multitudine facilius ab Exactoribus reſciſci poſſet, an hoc illove anno, ex hac vel illa Figulina tributum annuum rite perſolutum eſſet, injunctum ſingulis

In Muſæo Kircheriano a P. Philippo Bonanni illuſtrato Tab. LV. quatuor Laterculorum coctilium inſcriptiones forma circulari diſpoſitis literis recenſentur, quæ hujusmodi ſunt: *a*)

a) Muſ. Kirch. illuſtr. Claſſ. V. pag. 172. & 188.

Num. 1. in circulo exteriore: OP. DOL. EX PR. AVG GN. N. FIG. SV.

in concentrico: RUFINI PERIORLANI.

in ipſo centro Imago Mercurii.

Legit P. Bonanni: OP*us* DOL*iare* EX PR*ædio* AVG*uſti* GN*eii* N*epotis*. FIGulinæ SV*perioris*.

At quis ille Auguſtus Gneii Nepos? & cur additur, cujus Nepos? non item cujus filius, ut in aliis pleriſque inſcriptionibus? an non veriſimilius legendum eſſet AUGG. NN. id eſt, *Auguſtorum noſtrorum?* ſuſpicor item vocem PERIORLANI corrupte ex Laterculo in cuprum tranſlatam eſſe. Quid ſi *Rufini* & *Voluſiani* legendum ſit, quorum Conſulatus in annum æræ vulgaris 311. incidit, quo tempore *Auguſtorum* titulo, Imperio Romano præfuerunt Galerius Maximianus & Conſtantinus M.

Num.

lis fuiſſe putat, ut id genus notas regulis ipſis imprimerent Figuli, atque etiam ipſas Figulinas numeris I. II. III. IV. &c. connotarent. OP. DOL. rite legi OPUS DOLIARE vel OP*eris* DOL*iaris*, patet ex aliis Laterculorum inſcriptionibus, ut in uno, cujus inſcriptionem Cl. Fabrettus diſſ. 2. de Aquæ duct. vulgavit, ubi exprimitur: OPUS DOLIAR.

Num. 2. In extimo ambitu : EX PR TI CLAVDI SECVNDI

In interiore : VERI LVCILLÆ. in medio Vas Diotum, ſeu utrinque anſatum.

Legit P. Bonanni: EX PR*ædio* TI*ti* CLAUDI*i* SECVNDI VERI LVCILLÆ. veriſimilius arbitror legendum: EX PR*ædio* TI*berii* CLAVDI*i* SECVNDI, LVCILLÆ VERI.

Nam prænomen *Titi* unica litera T in vetuſtis inſcriptionibus exprimitur, *Tiberii* autem duabus literis TI. A)

Lucillam hic *L. Veri* Auguſtam intelligi debere opinor, in cujus uſus idgenus lateres in Prædio & Figulina *Tiberii Claudii ſecundi* confecti fuerint.

Num. 3. OP. DOL EX PR. VMI. QVADETANI

EX FI SEX AP SILV FAUS. Centrum ornatur capite radiato cum ampulla.

A) Hanc de prænomine *Titi* ac *Tiberii* obſervationem memini me legiſſe in literis eruditi cujusdam Galli (ni fallor C. d'Ennery) quas ille Pariſiis Viennam anno 1772. ad eruditiſſimum Antiquarium (nunc ἐν ἁγίοις) P. Joſephum Khell de numis *Pacatiani* ſcripſerat. In qua ſagaciter ſimul notat, omnes illos *Pacatiani* nomos, in quibus prænomen T. IVL. exprimitur, confictos eſſe; eo quod quicunque indubitatæ ſunt antiquitatis, in iis omnibus TI. CL. id eſt, non *Titi Julii*, ſed *Tiberii Claudii* expreſſum eſſe obſervatur.

a) Oper. cit. pag. 172. Legit idem auctor : a) OPus DOLiare EX PRædio VMIli Quinti VADETANI. Reliqua omittit. Forte legendum potius : OPus DOLiare EX PRædio Vetere Marci Julii QVADETANI.

EX FIgulina SEXta APpii SILVani FAUSti.

b) Supra cit epiſt. Refert Octavius Falconerius b) ex Grutero ſimilem Lateris coctilis inſcriptionem : EX FIG. SEX. AT. SILV. F. VI. in qua F & VI. putat indicari Figulinam ſextam. Sed ſi idem hic *Silvanus* intelligendus, ex præcedente inſcriptione liquet F non Figulinam ſed Fauſtum ſignificare; & alioquin jam EX FIG. ſive *ex figulina* præceſſit. Quocirca legendum fortaſſis *Ex Figulina Sexta Attii* (vel ſi T pro P eronee hic poſitum) *Appii Silvani Fauſti Viri Illuſtris*. Scilicet ut in aliis laterculis V. C. *Viri Clariſſimi*

Num. 4. OP. DOL. EX PR. DP. FLVC. P. A. ALEX.

NIGRO ET CAMER. in centro COS.

P. Bonanni hæc tantum legit : OPus DOLiare EX PRædio - - - - Publico Auguſti ALEXandri.

Vi-

Vitioſam hanc eſſe lectionem evidenter oſtendit NIGRI ET CAMER*ini* Conſulatus in circulo interiore ſignatus. Hi enim Conſules quamvis ordine inverſo (qua de re alio loco animadverſionem faciemus) non ſub Alexandro Auguſto, ſed ſub Hadriano Conſulatum iniverunt. Et quidem in M. Aurelii Caſſiodori Chronico *Camerinus & Niger* ad annum V. C. 890. In faſtis Conſularibus *Sulpicius Camerinus, & Quinctius Niger Magnus* ad annum 2. Olympiadis CCXXIX, ſive V. C. 890 & Æ. V. 138. adeoque ad penultimum Imperii Hadriani annum referuntur. Quamquam A. ALEX. legi non poſſe *Auguſtus Alexander* vel inde ſatis patet, quod Auguſti titulus poſtponi ſemper, non item præponi ſoleat in vetuſtis inſcriptionibus; ut HADRIANUS AUG. ANTONINUS AUG. &c.

Ceterum poſtrema hæc Laterculi inſcriptio, forte ob literas detritas, ac in cuprum ex conjectura tantum translatas, lectu, fateor, difficilis eſt adeo, ut hariolatione opus eſſe videatur. Verum hæc Antiquitatum ſtudioſum non idcirco a ſolerte inſcriptionum veterum inveſtigatione & collectione deterrere debet; multas enim alias & breviculas & clariſſimas reperiet.

Exem-

Exemplo ſint eæ, quas idem P. Bonanni in tubis fictilibus, qui prope veteres thermas inventæ fuerunt, recenſet, *a*) ut in uno: ALEXANDRI AUG. in altero: IULIÆ MAMIÆ (alias *Mamææ*) AUG. N. in tertio: MAXIMO ET PATERNO COS. in quarto: ÆLI MAXIMI AVGIORUM LIBERTI.

a) *Muſ. Kircher pag.* 184. *Tab.* 51.

Similiter Legionum notæ in Laterculis expreſſæ cum breves, tum explicatu plerumque faciles eſſe conſueverunt, iis videlicet, qui vel mediocriter in vetuſtarum inſcriptionum lectionibus verſati ſunt.

Neque eæ, quia breves, ideo negligendæ aut contemnendæ ſunt antiquitatum ſtudioſo. Qui enim, ut recte monet Cl. Octavius Falconerius, ad optatum ſcientiæ ſcopum pertingere cupit, atque id, quod ſibi propoſuit, adſequi, nulla ei res abjecta, vilis & contemptibilis videri debet, quæ cum eo, quod tractat, argumento conveniat, aut ei aliqua ex parte reſpondeat.

Et vero breviculæ illæ, quas in ſupra memoratis tribus laterculis inveni, inſcriptiones, opinione majores mihi attulerunt commoditates. Nam 1) cum initio (ut fieri ſolet) va-

ria eſſent hominum judicia de ruderibus inſoliti illius ædificii, quod parte priore deſcripſimus ; ita ut alii Turcicum, alii Gothicum, non pauci veterum Hunnorum ac ſpeciatim ATTILÆ hoc eſſe monumentum opinarentur & adſererent ; a) hi omnes obſtrepere illico deſierunt, ubi Laterculi ex eo monumento extracti Romanis & quidem Romanorum Legioni II. Adjutrici illud vindicarunt. 2) Erant, qui negligendum cenſerent hoc monumentum propterea, quod iis viderentur privati tantum, unde nihil peculiare colligas, cujuspiam ædificii rudera eſſe. At Laterum illa, ut ut brevis, luculenta nihilominus inſcriptio horum quoque opinionem mox refutavit; oſtenditque non in privatum ſed in publicum Legionis Romanæ uſum præclaras hoc loco ædes aliquando conſtructas fuiſſe. 3) Cum extantes harum ædium reliquiæ ſuaderent, ut hæc Laconici Caldariique Romani rudera eſſe pronunciarem, Notæ inventis Laterculis impreſſæ perſuadebant, ut eàdem hæc rudera non privati, ſed publici poti-

 us,

a) Plerique ex patriis hiſtoricis velut certum ac indubitatum tenent, Regiam ATTILÆ ſedem hoc in oppido fuiſſe. Qua de re qoid ſentiendum ſit, alibi dicetur.

us, atque adeo e pluribus ædificiis compoſiti balnei eſſe ſuſpicarer. A) 4) Denique pauculæ hæ notæ Laterculis noſtris impreſſæ erant mihi ve-

A) Verum, inquies, vix credibile eſt, ſuas etiam Legionibus Romanis balneas habere licuiſſe. Balnearum enim deliciæ enervant corpora: Unde Seneca; *Quid mihi*, inquit, *cum iſtis calentibus ſtagnis? quid cum Sudatoriis, in quibus ſiccus vapor corpora exhauriens includitur? omnis ſudor per laborem exeat.* Et Hippocrates Sect. V. aphoriſmo XVI. *Calidum*, ait, *ubi quis ſæpius eo utatur, hæc mala affert: carnium effæminationem, nervorum incontinentiam, mentis torporem.*

Ad hæc repono: primis Romanæ Reipublicæ temporibus non omnino Rem balneariam Romanis militibus notam adeo ac familiarem fuiſſe; at poſteaquam inſtituta Thermarum a Græcia ad Romanos tranſierunt, & gymnaſia atque palæſtræ conjungi thermis cœperunt, haud multo poſt, balnei uſus Militibus quoque Legionariis adeo familiaris eſſe cœpit, ut in hybernis etiam & ſtativis, in coloniis ac municipiis publico Legionum nomine balnea erigi, nihil inſolitum fuerit. Hinc, teſte Plutarcho, non male ominati ſunt Græci, balnea atque gymnaſia ſervitutem ac molitiem Romanis aliquando adlatura eſſe. Quandoque ipſi Principes promiſcue cum militibus balneo utebantur. Lubet hic referre quæ Spartianus de Hadriano in ejus vita narrat: *Publice*, ait, *& frequenter cum omnibus lavit. Nam cum quodam tempore veteranum quemdam notum ſibi in militia, dorſum & ceteram partem corporis vidiſſet atterere; percunctans, cur ſe marmoribus diſtringendum daret? ubi audivit hoc idcirco fieri, quod ſervum non haberet; & ſervis eum donavit & ſumptibus.* Juſtinianus Imp. teſte Procopio *de ædificiis Lib. II.* ut oblectationem ex balneis capi ſolitam reſtitueret præſidiariis in Caſtro Circenſi ad Euphratem, Balneum refici juſſit. *Balneum*, Inquit Procopius, *publicum, cum prorſus inutile adlapſu fluminis evaſiſſet, reſtituit, quæ enim prius ſupra fornaculas in quibus ignis ardet, pro lavationis commodæ ratione, ſolida fabrica ſuſpenſa erant (Chytropodas vulgo adpellant.) hæc omnia profluenti expoſita, corruptamque ea re balnei utilitatem offenderat. Quare ſtructura lapidea firmatis, quæ prius pendebant, his alias ſuſpenſuras impoſuit, ad quas pertingere fluvius nequit. Quo facto oblectationem inde capi ſolitam reſtituit præſidiariis.*

velut facula quædam, qua prælucente non pauca alia, quæ jam ſeqq. capitibus pertractabo, audacius inveſtigare, eruderare, ac explicare inceperam.

CAPUT III.

De planta pedis in uno Laterculorum expreſſa & cohærente illi cavo quodam canaliculo.

Laterculo plantam, ſeu pedis imi veſtigium ea prorſus forma & magnitudine, quam Tab II. fig. 2. adumbrat, impreſſum eſſe, principio capitis II. inſinuatum eſt. Veſtigio huic quidam cavitatis exiguæ canaliculus cohæret, qui a dextro, eoque extimo Laterculi ejusdem margine verſus extimum pedis digitum protenditur. Figura hæc non temere, neque ſolius ornatus gratia hic mihi poſita videtur: quin immo veram hic Semipalmi, ac Palmi etiam, quo Romani forſitan tegularii utebantur, exprimi menſuram conjicio; atque hanc nunc conjecturam, ubi de palmis veterum quædam ad faciliorem eorum, quæ dehinc dicturus ſum,

a) Tab. II. fig. 2.

R 2 intel-

intelligentiam præmiſero, nonnullis rationum monumentis firmare ſatagam.

§. I.

Prævia de palmis veterum Doctrina.

Menſura, quæ palmus dicitur., veteribus uſitatiſſima fuit. A) Ab Hebræis ad græcos, ab his ad Romanos palmi non minus, ac aliarum complurium menſurarum uſum propagatum fuiſſe eleganter juxta ac erudite demonſtrat Cl. Villalpandus. *a*)

Ex Victruvio autem & Julio Frontino colligitur optime, quænam palmi *ordinarii* ad pedem ratio fuerit. Ille ubi *b*) probaſſet ſenarium Mathematicis perfectum haberi numerum, hæc ſubjungit: *Non minus etiam*, inquit, *quod pes hominis altitudinis ſextam habet partem, corpus his ſex terminando, id perfectum conſtituerunt, cubitumque animadverterunt e ſex palmis conſtare, digitis viginti quatuor. - - - Cubito enim cum dempti ſunt palmi duo, relinquitur pes quatuor palmorum - Palmus autem ha-*

a) *In appar. Urb. ac Templ. P. II. L. III. c. 16. p. 454.*

b) *L. III. c. 1.*

A) Palmus a græco παλάμη, *manus*, *palma*, vulgo deducitur. At forte ipſum græcum παλάμη ex hebræo *Paam* in plurali *Peamim* (quod *veſtigium pedis* indicat) profluxit.

habet quatuor digitos; ita efficitur, uti habeat pes ſexdecim digitos. Julius vero Frontinus *a*) hæc ſcribit: *Pes habet palmos quatuor, uncias duodecim, digitos ſexdecim. Palmus habet digitos quatuor, uncias tres.*

a) *de Limit. agr.*

Quæ adeo perſpicua ſunt, ut interpretatione obſcurarentur, Verum obſerva: Auctoribus his ſermonem eſſe hoc loco de ea duntaxat palmi ſpecie, quæ & antiquiſſima, & maxime Veteribus uſitata fuit. Certum enim eſt alias inſuper palmorum ſpecies antiquis fuiſſe, quæ longe aliam, quam qualis modo expoſita fuit, ad pedem habebat rationem. Idcirco Cenalis *b*) triplicem conſtituit palmum, nempe *minorem*, *majorem*, & *maximum.* Villalpandus duplicem, *minorem* ſcilicet & *majorem*. Mihi *quadruplex* fuiſſe videtur, de quo deinceps dicetur.

b) *De mens. & pond. in Theſ. Græv. Antiqu. Rom.* pag. 479.

De Palmo *minori* convenit omnibus, propter clara Veterum teſtimonia, eum ſcilicet 4. digitis, vel 3. unciis ſeu pollicibus A) conſtare;

A) Pes inſtar aſſis a veteribus in 12 uncias dividebatur. Eſt autem uncia ſeu pollex unus ad digitum in ratione reciproca uti 4. ad 3. Cum 3. pollices æquentur 4. digitis: Itaque Uncia una ſeu pollex unus continet unum integrum & unam tertiam digiti partem. Cum autem palmus minor tres contineat uncias, Pes autem duodecim; ſequitur palmum minorem eſſe Pedis unius quadrantem, & e quatuor id genus palmis unum confieri pedem ut jam ex Frontino dictum.

re; prout nempe geometricum pedem vel in 16. digitos, vel in 12 uncias ſeu pollices diviſum concipis. Hunc Palmum Latini a tribus pollicibus aliter *tripollicarem* vocant; Hebræi autem *Thophac*. A) Græci *Palæſten*, *Dochmen*, *Dactylodochmen* B). Addunt alii plerique, qui de menſuris longitudinum ſcripſerunt, etiam vocabulum *Doron*, ſed hoc non eſſe cum *Palæſte* ac *Dochme* confundendum, pluribus paullo poſt demonſtrabimus.

At

A) *Exod.* 25. v. 25. ubi menſura aureæ coronæ alta præcipitur eſſe *Thopach*, ſeptoaginta interpretes vertunt παλαιςή. Vulgata vero, *quatuor*, ait, *altam digitorum*. Et in libris Paralipom. ubi æoei maris craſſitudo definitur *thophach*; ſeptuaginta, παλαιςή; vulgata; *porro vaſtitas ejus habebat menſuram palmi*.

B) Παλαιςή, ait Heſichios, τὸ τεσσάρων δακτύλων μετρόν, id eſt, palæſte *eſt quatuor digitorum menſura*; quaſi a παλαίω *luctor*; opos enim eſt palæſte, ſeu palma in lucta.

Δοχμὴ ab *accipiendo* dicitur, eademque eſt cum Palæſte menſura: ait enim Jol. Pollux: δοχμὴ δὲ συγκλεισθέντες οἱ τέσσαρες δακτύλοι; id eſt, *Dochme vero ſunt quatuor concluſi digiti*; tranſverſa enim manu metimur.

Δακτυλοδόχμη compoſitum vocabulum eundem palmum minorem ſignificat, ſuoque etymo palmum e digitis componi monet.

Si a pollice manus ad extremum ſeu minimum digitum capias intervallum, atque huic addas medii digiti longitudinem; habes menſuram quatuor palmorum minorum ſeu unius pedis. Ordinaria enim longitudo medii digiti in homine juſtæ magnitudinis palmum, ſeu trium pollicum latitudinem adæquat: intervallum vero quod a minimo digito & pollice extento intercipitur, tres plerumque continet idgenus palmos, ſeu Dodrantem, quem & *Spithamam* græci vocant, ut infra dicetur.

At in palmo *majori* ſtatuendo ſingularis eſt Cl. Roberti Cenalis *a*) ſententia. Ait enim: *eſt & alius palmus major in ſe comprehendens quatuor digitos cum pollice non lato, ſed profundo: hujus profunditas trium dimenſionum minima latum digitum æquat: eſt ergo palmus iſte major quinque digitorum, quem vulgus adpellat ungdour, græci doron; unde & lateres tetradori, pentadori.*

a) Lib. ſupr. cit.

Quibus verbis hæc duo docet 1) dari aliquem palmum, qui ſit quinque digitos longus, ac proinde major, quam ſit *palaſtes.* 2) Palmum idgenus quinque digitorum eundem prorſus eſſe, quem græci *Doron* adpellaverint, & ad cujus menſuram Lateres *tetradori*, & *pentadori* dicti, formati fuerint.

Verum quoad primum; an de palmo quinque digitorum uſpiam apud veteres legerit Cenalis, ignoro; imo vehementer ambigo.

Quoad alterum autem; manifeſto erraſſe virum hunc eruditum, perſpicue nunc oſtendam.

Quæ menſura veteribus fuerit palmus *Doron* dictus, non ex vulgi *ung dour*, ſed ex priſcis auctoribus colligi debet. Ex his autem Victruvius

vius & Plinius Palmum *Doron* non quinque, ſed duodecim omnino digitorum, ſeu quod idem eſt, novem unciarum, aut unius dodrantis fuiſſe, docent; quod ſic oſtendo: Laterem διδῶρον ſeu duorum idgenus palmorum tradunt *ſesquipedis* habere longitudinem: igitur duo hujusmodi palmi, qui *Dori* dicuntur, Victruvio & Plinio teſtibus, æquantur *Sesquipedi*, hoc eſt uni ac dimidio pedi, ſive quod idem eſt, 18. unciis, aut 24. digitis: Ac proinde, quod ſuapte ſequitur, unus idgenus Palmus *Doron* dictus æquatur 9. unciis, ſeu 12. digitis, aut uni dodranti. *Fiunt*, ait Victruvius, *a*) *Laterum tria genera: unum quod græce* διδῶρον *adpellatur, id eſt, quo noſtri utuntur, longum Sesquipede latum pede; & ceteris duobus græcorum ædificia ſternuntur; ex his enim unum* πενταδῶρον, *alterum* τετραδῶρον *dicitur. Doron autem græci adpellant palmum, quod munerum datio, græce* δῶρον *adpellatur, quod ſemper geritur per manus palmam.* Plinius Hiſt. nat. L. XXXV. c. 13. idem repetit: *Genera eorum*, Laterum inquit, *tria: Didoron quo utimur, longum ſesquipede, latum pede: alterum tetradoron., tertium pentadoron. Græci enim antiqui doron palmum vocabant, &*

ideo

a) L. II. c. 3.

ideo dora munera, quia manu darentur: ergo a quatuor & quinque palmis prout ſunt nominantur.

Melius igitur Villalpandus de majore veterum palmo ſentit, quem ſemicubito, A) ſive dodranti, B) id eſt, 9. unciis, ſeu 12. digitis parem facit. Hebræis major hic palmus *Zereth*, & Aria Montano teſte, etiam *tophach ſachag*, græcis vero ſpithame c) dicitur. Plinius

A) Ex Victruvio ſupra diximus cubitum ſex palmis (minoribus videlicet) ſeu 24. digitis conſtare, id eſt, ſesquipede: igitur ſemicubitus æquatur tribus palmis minoribus, i. e. tribus partibus onius pedis. Eleganter in has menſuras commentatur Villalpandus: „ Hæc „ menſurarum collatio, inquit, non temere aut caſu conſtituta eſſe in „ homine videtur. - - Non enim venuſtas aut decor homini ineſſe po„ tuiſſet, niſi extenſæ manus proceritati corporis ex æquo reſponderent, „ quæ ad pectus usque complicatæ cubitum oſtenderent quartam eſſe al„ titudinis partem, cujus duas tertias partes complecteretur pes, ſextam „ palmus, palmi vero quarta pars eſſet digitus, pollex tertia, aliæque „ quamplurimæ, admirabilesque proportiones reperirentur in homine. „ Porro Victruvius cum ſex pedum altitudine juſtam hominis menſuram terminet, eandem quoque perfectam ſex nempe palmorum rationem in cubito reperiri exiſtimat.

B) *Dodrant* quaſi a *de* & *quadrans*. Deeſt enim quadrans quo minus ſit As vel pes, id eſt, tres unciæ ad 12. deſunt, quæ unum pedem efficiunt.

c) Spithame quaſi ἀσπίζω *extendo*: indicat quippe longitudinem ſpatii, quod pollice & minimo digito, quantum poteſt, extentis clauditur. Latini quoque hoc vocabulo utuntur. Ita Plinius Hiſt. nat. L. VII. c. 2. *ſupra hos*, inquit, *extrema in parte montium ſpithamei Pigmæi narrantur ternas ſpithamas longitudine, id eſt, ternos dodrantes non excedentes.*

nius quoque plurimis locis, ut videre eſt apud Philandrum l. 3. cap. 1. in Victruvium, eundem palmum vocat dodrantem, & pro dodrante viciſſim palmum ponit. S. Hieronymus vulgatæ interpres Hebraicum *Zereth* & græcum *Spithame* palmi nomine latine reddit.

Rurſus Cenalis errare videtur, dum veteribus *palmum* quemdam *maximum* octo digitorum fuiſſe dicit, quem utpote ex duobus minoribus compoſitum græcis putat vocatum Διχας quaſi duplicatum A). Nam Διχας nullus quidem græcis palmus dicitur, ſed *Lichas*, & præter hunc alter quidam *Orthodorus*, quorum definitionem mox dabimus.

Lichas nempe, teſte Pæto, fuit menſura 10. digitorum, quaſi λίχανος *index digitus*, quia nempe menſura erat illius intervalli, quod inter pollicem, ac indicem diſtentos comprehenditur.

Orthodoron 11. digitorum, menſura ejus intervalli, quod inter primam palmæ partem, ubi videlicet brachio conjungitur, ac inter ſupremam digiti medii in eadem recta compre-hen-

A) Διχα non duplicatum, ſed bifariam diviſum ſignificat.

henditur. Hinc ὀρθόδωρον Orthodoron idem, qui *rectus palmus*.

Igitur ſi veras palmorum ſpecies, qui apud veteres leguntur, numeremus, reapſe palmus eſt quadruplex: videlicet palmus minor 4. digitorum qui & *palæſtes*, vel *dochme* vel *Dactylodochme*: ut ſupra dictum eſt.

2do palmus quidam major 10. digitorum, cui apud græcos *Lichas* nomen.

3tio palmus alter major 11. digitorum, *Orthodori* vocabulo cognitus.

4to palmus tertius major, quem rectius *Maximum* dicemus idem cum Latino *dodrante* vel græca *Spithama* 12. digitorum; quandoque *Doron*, quaſi largior palmus eadem hæc ſpithame græcorum dicitur. Lucas tamen Pætus, paſſimque, ut diximus, alii exiſtimant eandem communiter Græcis menſuram fuiſſe *Doron*, & *palæſten*, & *dochmen*, & *dactylodochmen*, id eſt palmum 4. digitorum. Quodſi oſtendi poſſet, apud Victruvium & Plinium loco ſupra citato vitioſam eſſe *Sesquipedis* pro *Semipede* lectionem, equidem eorum ſententiæ ipſe accederem: *Didoron* enim *Semipedem* efficeret, cum duobus palæſtis, ſive palmis mi-

noribus æquivaleret. At enim nihil eſt, quod lectionem ibi corruptam eſſe ſuadeat. Nam ſi græcorum & Romanorum Later *Didoron* longitudinem, ut credibile eſt, latitudine majorem habuit: dubium non eſt, quin *Didoron longum ſeſquipede*, *latum pede*, non autem longum ſemipede, latum pede, legi debeat. Itaque errant omnino, qui *doron* a palæſte non diſtinguunt, putantque, dum Victruvius & Plinius ſcribunt, Græcis antiquis Doron palmum vocatum eſſe, intelligi poſſe palmum minorem 4. digitorum, qualis & *palæſte eſt*. Et vero Cl. Pætus vel ex eo, quid *Orthodoron* undecim digitis definiverat, advertere potuiſſet, *Doron* græcis ampliorem quemdam palmum ſignificare, quam *palæſten*, cujus longitudo quatuor duntaxat digitis definitur.

Atque hæc de palmorum differentia præmittere placuit. Juvat nunc Schema quoque oculis ſubjicere, in quo palmorum horum & ad invicem & ad pedem antiquum ratio perfecta exhibeatur, ut quoties minores in majoribus contineantur, uno velut obtutu pateat.

Di-

						Digitus
Uncia ſeu pollex						$1\frac{1}{3}$
Palmus minor, palæſte, Dochme					3.	4.
Palmus major Lichas dictus				$2\frac{1}{2}$.	$7\frac{1}{2}$.	10.
Palmus major ſeu rectus, *Orthodoron* dictus			$1\frac{1}{10}$.	$2\frac{3}{4}$.	$8\frac{1}{4}$.	11.
Palmus Max. Dodrans Spithame, Doron dictus		$1\frac{1}{11}$.	$1\frac{1}{5}$.	3.	9.	12.
Pes unus continet	$1\frac{1}{3}$.	$1\frac{5}{11}$.	$1\frac{3}{5}$.	4.	12.	16.

Lege: Uncia ſeu pollex continet 1 & $\frac{1}{3}$ digit.

Palmus minor, ſeu palæſte = 3. pollic. vel 4. digit.

Palmus maj. Lichas = 2 & $\frac{1}{2}$ palm. min. vel 7 & $\frac{1}{2}$ pollic. vel 10. digit.

Et Sic porro.

Unde patet, inventa ex his vel unius menſuræ antiquæ magnitudine vera, ceteras, atque pedem ipſum facile determinari poſſe. Cum igitur veram antiquarum menſurarum magnitudi-

tudinem ex monumentis potius, quam ex libris quærendam eſſe, omnes eruditi ſuadeant, licebit jam inveſtigare, an & quæ menſuræ antiquæ longitudo in præſtanti latere noſtro expreſſa ſit.

§. II.

Oſtenditur, figuram Laterculo impreſſam Palmi maximi, & Semipalmi menſuram exhibere.

Præmiſſa de variis veterum palmis notitia, ſupereſt, ut rationes, ob quas in mentem venit opinari, veram hoc in Laterculo Palmi veteris menſuram exprimi, depromamus.

Primum igitur ipſa veſtigii figura huic Laterculo impreſſa monet, aliud forte Romano Figulo conſilium fuiſſe, quam ut præciſe nomen Legionis eidem inſcriberet. Cur enim in aliis formæ minoris Laterculis, quamvis itidem Legionis aut cohortis nomine ſignatis, eadem non occurrit figura? cur in hoc molis eximiæ Latere literas adeo coarctari oportuit, ſi nihil erat, quod veſtigii modulum, quo characteres clauderentur, augeri ac produci vetaret? Profecto vel hæc juſtam injiciunt ſuſpicionem, an

non

non determinata iſthæc figuræ extenſio publicam, cujus forte in formandis lateribus uſus erat, longitudinis menſuram exhibeat. Sed neque canaliculus pedis veſtigio otioſe adjectus videtur. Ad hæc certum eſt, priſcis Romanis in more poſitum fuiſſe, ut publicas menſuras non æri modo inciderent, verum Saxis quoque ac lapidibus inſculperent. De Laterculis quidem, fateor, id non adeo liquidum eſt: at iſtud indubitatum videtur Lateres ad certam determinatamque menſuram a Romanis effingi ſolitos fuiſſe, id probant tot apud Victruvium, Plinium, Varronem, Columellam, aliosque paſſim occurrentia Laterum epitheta, ut: *beſſalium*, qui ſcilicet uncias octo ſeu totidem pollices longi eſſent; *ſeſquipedalium* ſeu unius ac dimidii pedis, *dupondii* aut *bipedalium*, id eſt duorum pedum; adde *Didoros*, *tetradoros*, *pentadoros*. de quibus jam locuti ſumus. Quidni proinde contingere etiam potuiſſet, ut ejusdem menſuræ longitudo, ad quam ſive ſemel ſumptam, ſive aliquoties repetitam efformandus eſſet Later, ipſi quandoque Lateri, cum adhuc crudus eſſet, imprimeretur?

Ad-

Adhæc ubi dimenſus fuiſſem ad pedem Viennenſem Longitudinem canaliculi, ab extimo Lateris margine ad extimum nempe digitum plantæ pedis, id eſt, Spatium A C. (vide Tab. II. fig. 2.) Itemque dum ipſius plantæ extenſionem ab ea parte calcis, quæ canaliculo adjacet, ad extremitatem ejusdem digiti ſeu B C. conſideraſſem, obſervavi hoc illius menſuræ dimidium eſſe; videlicet ibi 10 digit. & $\frac{2}{3}$. hic vero 5 dig. & $\frac{1}{3}$. longitudinem reperi. Hanc autem veſtigii partem potius, quam aliam eſſe menſurandam, id ſvaſit, quod puncta B. C. in eadem recta AC jacerent. Cum igitur pedem meum Viennenſem, quo uſus fui procul dubio longiorem eſſe pede Romano antiquo haud ignorarem, videbam fieri poſſe, ut longitudo illa canaliculi vero pedi Romano antiquo collata, 12 digitis; altera vero veſtigii, ſenis digitis; ſive illa dodranti adeoque palmo; hæc ſemidodranti ſeu ſemipalmo maximo æquaretur.

Profecto hæ rationes tantum apud me valuere, ut continuo pedis antiqui Romani typos ſollicite conquirere cœperim: horum tres poſtea delegi: nempe unum, qui *Colotianus* A) di-

A) Pes hic ex marmorea baſi ſepulcri Cn. Coſſutii ſumptus eſt, quæ quidem baſis quoniam in hortis olim Angeli Colotii ad Pincii montis radices fuerat, inde pes quoque Colotianus dictus eſt.

dicitur, & a *Statiliano* A) vix quidquam differe putatur; alterum quem *Pætus* vulgavit. B) Tertium *Capitolinum*, C) quem ex deſcriptione Viri eruditi Fabretti ipſe in chartam conjeci, habito nempe ſemipede Villalpandi delineato, ex quo reſcideram exceſſum, de quo Fabrettus in ſua *diſſert. de Aquis & aquæ ductibus* monet.

Itaque captis ope circini intervallis deprehendi AC longitudinem, in *Statiliano* quidem & *Colotiano* pede D) reſpondere II digitis & $\frac{1}{3}$.

A) Statilianos pes fere congruit cum Colotiano, teſte Philandro in adnot. in Victrov. L. II. c. 3. Eſt hic pariter marmoreus, in alia marmorea baſi ſepulcri T. Statilii decempedatoris & menſoria ædificiorum inventos, quæ baſis Philandri tempore ex Janiculo refoſſa fuit, & in Pontificios Vaticani hortos translata. Pes hic Statilianus in digitos & oncias diſtinctos erat,. quibus Colotianus caruit.

B) Cl. Lucas Pætus Juriſconſultus Romanus cum pedem æreum, qui in ruderibus quondam extra portam Nomentanam inventus erat, & alios itidem duos æreos, palmis, onciis ac digitis diſtinctos reperiſſet; unum videlicet apud Fulvium Urſinum Lateranenſem, alterum apud M[illegible]um Delphinum; & cum inter hos tres exiguum diſcrimen obſervaſſet, illum pro Romano antiquo & legitimo pede habendum eſſe probavit, qui ex iſtis æreis colligeretur; marmoreis nempe Statiliano & Colotiano rejectis. Quamquam Colotianus & Statilianus nunc etiam non paucis eruditis præ Pætiano placet.

C) Pes, qui Capitolinus dicitur, adſervatur in Capitolio in Saxo ingenti marmoreo, ſex fere pedes longo, unum & dimidium lato, teſte Lodovico Savoto Pariſienſi Academico.

D) Qualem ſcilicet in Theſ. Græv. Antiq. Rom. Vol. XI. pag. 1674. expreſſum inveni.

ipſum autem veſtigium parte illa, qua canaliculo cohæret = 5 & $\frac{2}{3}$ dig.

Eadem longitudo AC in pede *Patiano* æquabat 11 digit. & $\frac{6}{8}$; Veſtigii autem BC = 5. & $\frac{7}{8}$.

In pede Capitolino longitudo AC = 11 digit. & $\frac{15}{16}$. Veſtigii BC = 5 & $\frac{31}{32}$. Hac viſa differentia, quamvis exigua, fateor, non modicum dubitare cæpi, an canaliculi hujus longitudo pro dodrante ſeu palmo legitimi pedis Romani, & extenſio veſtigii pro ſemipalmo haberi poſſit; &, ut fit, præterea occurrerunt alia quædam, quæ conceptæ prius opinioni adverſari videbantur. Nam imprimis nullum cæteroquin proferri poteſt Laterculi Romani exemplum, in quo palmi vel pedis typus indubitatus conſpiceretur. Dein, quia fini huic Later haud ſatis idoneus eſſe videtur, ut pote qui menſuram ſibi, dum crudus eſt, impreſſam, ubi igne percoquitur, contrahere neceſſario debeat. Tum ſi figura hac in ſingulari hoc Laterculo palmum & ſemipalmum exhibere artifex voluiſſet, an non eandem factis quoque in uncias ac digitos ſectionibus ſignaſſet? Denique comparatus noſter hic palmus cum dodrante ſeu palmo pedis

dis

dis *Colotiani* & *Statiliani*; una, quod nimium eſt, parte tertia digiti brevior foret.

Et has reapſe difficultates, quæ hic objici poſſint, eſſe arbitror; verum ad ſingulas quoque eſt, quod non incongrue reponatur; & quidem

Ad 1mam. Etiam de aliis monumentis diu multumque diſceptatum erat, exhiberentne reapſe id, quod nonnulli antiquariorum adfirmabant. Ita Leonardus Porcius Vicentinus, cum in baſi marmorea inter cetera fabrilia inſtrumenta regulam quoque effictam cerneret, hanc dimenſus tradidit pro pede Romano antiquo, qui nunc dicitur *Colotianus.* Hic tamen pedis typus adeo extra controverſiam non erat, complures uti cum Pæto adſeverarint; in illa baſi necquicquam pedis Romani menſuram legitimam fuiſſe quæſitam, cum ſculptoris conſilium non aliud fuiſſe videatur, quam ut effictis in lapide ſepulcrali artis fabrilis inſtrumentis, mallei nempe, circini, libellæ, regulæ, edoceret, cujus profeſſionis homo fuerit ille, quem ea baſis conſepultum tegeret.

Ad 2. Cum ex Architectorum præſcripto lateres *beſſales*, *ſesquipedales*, *bipedales*, vel *didori*,

tetradori &c. adeoque ad certam determinati menſuram eſſe deberent, eapropter vero conſentaneum eſt dicere, noviſſe Figulos vel tegularios, quantum fere de lateris cujusque magnitudine per ignem deperdatur: quocirca poterant quoque tam crudi molem lateris, quam imprimendæ longitudinem menſuræ tantum augere, quantum deinde per actionem ignis contractum iri autumabant Ad 3. Nec in Colotiano pede marmoreo illæ in uncias aut digitos inventæ ſunt diviſiones. Ad *poſtremum*: A dodrante quidem pedis *Colotiani*, *Statilianique* una tertia digiti parte differt palmus noſter, verum a dodrante pedis *Pætiani* non plus quam $\frac{2}{8}$ dig. & minus adhuc a dodrante ſeu palmo pedis *Capitolini*, quia videlicet $\frac{1}{16}$ ſolummodo deficit. Quæ utique differentia prorſus exigua eſt, indicioque eſſe forte poſſit, palmum noſtrum dodrantem eſſe pedis antiquioris, quam ſint illi, quos nunc nominavimus. Eſt enim hæc eruditorum opinio, florente Republica atque Romano imperio, uti pondera minora, ſic menſuras quoque breviores fuiſſe; labentibus autem annis & felicitate populi Romani decreſcente, menſuras quoque, ponderaque incrementum accepiſſe.

Ce-

Ceterum quod palmus Laterculi noſtri tantillo brevior eſt palmo ſeu dodrante pedis Capitolini, an non veriſimiliter id edacitati tam diuturni temporis, attritui, cauſſisque aliis adſcribi poteſt? Præterea exemplar pedis antiqui legitimi in ipſo vetere monumento expreſſum, ad cujus dodrantem palmus hic noſter exigi & comparari potuiſſet, nullum præ manibus habuimus; ſolis pedum in libris impreſſorum ſchematibus utendum erat, quæ quantis obnoxia ſint erroribus, quis ignorat? vide quæ Savotus in præſtanti ſua *de numis Antiquis* diſſert. ea de re adnotet. A)

A) Colotianus & Statilianus pes multos initio habuit patronos; hunc pro legitimo agnoverunt Portius, Alciatus, Agricola, Gruterus, Vigenærius, Angelocrator, Neander, Capellus, Mariana, Ghet.ldus, Ciacconius, Sighicellus, Achilles Maffæus, Fulvius Urſinus. Quamvis hi fere omnes, ut recte obſervat Savotus, non ſolum varie, ſed etiam minus accurate pedis hujus longitudinem in libris nobis exhibeant; nempe vel quod veram pedis Colotiani menſuram non habuerunt, vel quia eam, quam in libris impreſſis invenerant, exſcripſerunt, vel quod charta, quæ tunc, cum prælo ſubjicitur, humida eſſe ſolet, poſtea ſeſe nonnihil contraxerit; vel denique quod alii volentes compenſare, quod per chartæ contractionem deceſſurum putabant, longitudini plus æquo addiderunt. Pedis item hujus auctoritatem diſſertatio Lucæ Pæti aliquo tempore infirmavit. Reſtituit eandem illi poſtea Ludovicus Savotus. Rurſumque ubi poſt Savotum ſcripſiſſet Fabrettus, Colotiano pedi præferri cæpit Pætianus & Capitolinus, qui ut ait Fabrettus, & certioribus teſtimoniis erat deinde aſſertus, & ex quotidianis veterum ædificiorum menſuris millies comprobatus. Villalpandi pes ex Veſpa-

Atque ex his omnibus ſatis, opinor, patet, id quod probandum ſuſcepimus; nimirum tametſi certum omnino ac evidens non ſit, veriſimile tamen eſſe, figura Laterculo noſtro impreſſa Palmi antiqui Romani, & ſemipalmi, quali forte Figuli Romanorum in effingendis lateribus utebantur, longitudinem exhiberi. Oſtendimus enim non eum duntaxat Palmum, qui quatuor digitis definiebatur, apud veteres in uſu fuiſſe, verum alios quoque, & cumprimis hunc, qui pedis unius *dodrantem* æquabat, quique aliis nominibus & *Spithame*, & *Doron* vocabatur, frequenter ab antiquis Architectis adhibitum fuiſſe.

Quod ſi jam Laterem noſtrum hoc palmo dimetiaris, invenies tres id genus palmos ſeu ſpi-

ſpaſiani Congio deſumptus non paucis quoque initio placuit, ſed poſtea ut juſto longior eſt rejectus, ſolamque Villalpando ingenii ac induſtriæ laudem reliquit. Erant, qui veram pedis antiqui Romani menſuram ex libræ antiquæ pondere quærerent: quanam id ratione? docet Savotus Diſſert. de *Num. antiqu. parte III.* c. 38. *Nam ſi faciamus*, ait ille, *vas cubicum ex omni latere quadratum* (Quadrantal id Latini vocant) *in longum, latum, & profundum habens pedem verum antiquum; aqua communis, quæ vas iſtud replet, exacta ratione pendere debet* 80. *libras antiquas. Hæc ſententia nititur auctoritate Sixti Pompeji, in voce* publica pondera, *Metii Voluſiani, Remmii Fannii, & S. Iſidori: in tractatibus, quos* de ponderibus & menſuris *ſcripſerunt.*

ſpithamas longum; duas, qua integer eſt, latum.

Cum igitur tres ſpithamæ ſint totidem dodrantes, patet longitudinem Lateris determinatam eſſe 27. unciarum, ſeu 36. digitorum. Menſura tamen hæc, fateor, non ad extremum penitus marginem pertingit, ſed unius fere digiti redundat intervallum: nec enim, ut quidem exiſtimo, ea ſemper in fingendis lateribus adhiberi potuit adcuratio, ut eorum longitudo ne tantillo quidem præſtitutam excederet menſuram. Nihilominus ſi quis brevitatem palmi, quam ex figuræ impreſſæ longitudine ſtatuimus, hoc invento exceſſu compenſandam arbitretur, id quoque licebit; ita quippe fiet, ut palmus ad tertiam longitudinis Lateris partem formatus, palmo pedis antiqui Romani a Cl. Luca Pæto ſtatuti, evadat æqualis, quem ceteroquin una fere tertia digiti parte productiorem, quam ſit longitudo canaliculi noſtri AC, (*ead. fig.*) adnotavimus. Ceterum Laterem hunc noſtrum reapſe ad palmi cujuspiam ter ſumpti menſuram effictum eſſe, jam vel ipſe hic tam exiguus ſupra tres palmos *Doros* ſeu dodrantes exceſſus confirmat.

§. III.

§. III.

Expenduntur quædam difficultates in eodem argumento.

At enim, inquies, Later hic trium id genus palmorum, ſeu *Tridorus* ad nullum eorum, quos Vitruvius, Pliniusque enumerant, genus pertinere poteſt. Quid igitur? negabimus forteau hunc unum e veris antiquis Romanorum Lateribus eſſe? aut certe Vitruvii Pliniique ætate multo poſteriorem dicemus? Neutrum inde conſequitur. Certum ſiquidem eſt, plurimos jam ex terra erutos Lateres indubie antiquos Romanos fuiſſe, qui tamen nec *Didori*, nec *Tetradori* nec *Pentadori* dici, id eſt, ad nullam trium illarum Claſſium, quas antea Vitruvii Pliniique verbis enarravimus, referri poteſt; ſive palmum *Doron* perinde ac *Palæſten* (quod plerique alii volunt) trium unciarum, ſeu quatuor digitorum longitudine definias; ſive jam nobiſcum potius, cumque Villalpando palmum *Doron* a *Palæſte* diſtinctum prorſus, nempe 9. Unciarum, id eſt, 12. digitorum, vel, quod idem, unius Dodrantis eſſe

eſſe tibi perſvadeas. A) Rem hanc exemplis comprobabimus. Philander *a*) in vinea Joannis Mileti Romæ extra Portam Latinam ſua memoria laterem erutum ſe vidiſſe teſtatur, la-

a) in Not. ad Vitruv.

U tum-

A) Ex iis omnibus, quos de palmo vetere Romanorum conſului, unicus eſt, quantum ſcio, Villalpandus, qui in erudito ſuo quod ſupra laudavi opere vocabulum *Doron* a Victruvio ac Plinio pro *palmo majore* ſeu *dodrante* ſumi adſerit, ac S. Hieronymum dodrantis vel ſpithamæ menſuram quodam loco palmi vocabulo rite exprimere, demonſtrat. Poſt illum deinceps, ut obſervavi, Henninius in notis ad Bergierium *de viis militar. L. III. ad lit* γ. *Doron* tanquam genericum Palmi nomen ponit, illudque in palmum minorem ſeu παλαιςὴν quatuor ſcilicet digitorum; & in majorem ſeu Σπιθάμην *Spithamam* aut dodrantem aliter, novem videlicet unciarum ſeu duodecim digitorum diſpeſcit. Alii pæne omnes *Doron* a *Palæſte* non diſcernunt. Contrariæ huic opinioni occaſionem dediſſe puto vitioſam Victruvii editionem, in qua *Didori* lateres dicuntur longi pedem, lati ſemipedem; non vero ut Villalpandus in alia caſtigatiore legit longos ſesquipedem, latos pedem. Nam quod Cl. Bergier mavult in Plinii quam in Victruvii lectionem irrepſiſſe errorem, non profecto perſuadet. Cur enim 1) Nulla Pliniani operis editio eſt, In qua legeres laterem *Didoron* longum pede, latum ſemipede; ſunt autem Victruviani operis emendatiora exemplaria, in quibus diſerte ſcriptum invenias *Didoron* longum ſesquipede, latum pede. 2) Cum Plinius hæc, quæ de laterum triplici eo genere ſcribit, procul dubio ex ipſo Victruvio exſcripſerit (ipſis enim Victruvii verbis uti videtur) idcirco longe ſimilius vero eſt dicere, lectionem illam in Victruviani operis editionibus minus corruptam eſſe, quæ magis cum Pliniana eorum verborum lectione congruit. 3) *Didoron* exprimere debet menſuram longitudinis id genus Laterum, non vero præciſe latitudinis: at vero ſi legendum eſſet *Didoron* longum pede, menſura duorum palmorum (ſive minores, ſive majores intelligere velis) nulla ratione exprimeretur. *Pes* enim ut ſupra diximus continet quatuor palmos minores. Duo autem palmi majores, quales hic ſtatuimus, non pedem, ſed ſesquipedem, id eſt, unum ac dimidium pedem adæquant.

Unica forte huic lectioni difficultas cum ratione objici poſſet: quod ſcilicet, ſi Laterculus *Didorus* reapſe ſesquipede longus, & pede latus fuiſ-

tum undiquaque duos pedes cum ſextante, craſſum vero uncias duas cum Triente, cui nomen Tegularii & Figulinæ poſſeſſoris inſcriptum erat. Unde infert, priſcos Romanos tri-

ſuiſſet; oportebat eo caſu *Tetradoron* trium pedum, *Pentadoron* vero trium pedum ac Dodrantis longitudinem habere, imo & latitudinem; ſiquidem ex verbis Plinii loc. cit. colligitur in *Tetradoris* & *Pentadoris* latitudinem longitudini parem fuiſſe: hoc autem nimium videtur. At mihi hæc ipſa objectio plurimum confirmare videtur lectionem Seſquipedis eo Victruvii loco. Quinam id vero? accipe: Pone *Didoron* exprimere magnitudinem *Semipedis* tantum; erit igitur Later *Tetradoron* nonniſi pedis unius; *Pentadoron* unius pedis ac trium unciarum duntaxat; ac proinde dicendum eſt, nullum horum Laterum genus vel *Seſquipedis* magnitudinem habuiſſe. Atqui hoc falſiſſimum. Quid enim frequentius de Laterculis veterum ſeu apud Victruvium, ſeu apud Plinium aliosque veteres legas, quam epitheta *Seſquipedalium*, *Dupondiorum* ſeu *bipedalium*, atque apud græcos his etiam majorum? Verum, ut lucolentius pateat, & Plinium eo loco, ubi laterem Didoron ſeſquipede longum definit, non eſſe corruptum, & Victruvio in illis editionibus, in quibus Lateri didoro longitudo pedis, & latitudo dimidii pedis attribuitur, reſtituendam eſſe priorem lectionem, quæ a Pliniana non diſcrepat; ut hoc, inquam, evidenter pateat: age, perlege ſis meditate totum illud Hiſt. N. L. XXXV. Caput. XIII. intelliges *Didoron* hoc fuiſſe genus Laterum, quo Romani potiſſimum in ædificiorum privatorum ſtructuris utebantur: cur vero non *tetradoro*, vel *Pentadoro*? quia, inquit Plinius cum Victruvio, *Romæ parietem communem Seſquipedali craſſiorem eſſe non licebat.* Igitur *Didoron* erat laterculi genus magnitudine ſeſquipedali, quippe parieti adhibitus craſſitiem ſtructuræ ſeſquipedalem efficiebat: *Tetradoron* autem & *Pentadoron* magnitudine ſua *ſeſquipedem* ſuperabat, cum parieti craſſitie ſeſquipedali ſtruendo adhiberi nequiverit.

Sed, inquies, Victruvius & Plinius addunt: vocabulo græco *Doron* intelligendum eſſe id genus palmum, qui ad manus palmam, per quam dantur munera, alludit. Rectiſſime. Ajo igitur, *Doron* largiorem quemdam palmum ſignificare; qui extentam manus palmam, ſive *Spithamam* a σπιζω *extendo* connotat; Munerum enim datio per extentam rectius, quam per contractam manus palmam exprimitur.

tribus illis Græcorum laterum generibus non contentos, alio quoque interdum, prout res ferebat, uſos fuiſſe; ad ædificii nimirum aut elegantiam, aut amplitudinem adcommodato. Item: cum Romæ Anno M DC. LXI. paries ad inſtaurandum Panthei porticum diiueretur, teſte Octavio Falconerio, *a*) copioſi illinc effoſſi fuere & in aream Templi congeſti lateres, quorum tamen nullus ex tribus illis magnitudinis generibus fuerat, quibus veteres Græcos pro ædificiis ſuis uſos eſſe Victruvius & Plinius perhibent, verum ſinguli fere, quemadmodum ille, quem a Philandro viſum diximus, lati fuere undiquaque duos pedes & ſextantem ſeu duas uncias. Ex his Lateribus tunc eiutis cum Cl. Falconerius complures attentius perluſtraſſet, teſtatur in memorata epiſtola, repertos a ſe fuiſſe duos peculiares, in quorum ſcilicet uno præter nomen artificis etiam Conſulum nomina ambitu quodam circulari inſcripta fuerint; in altero autem alias expreſſas fuiſſe notas, ex quibus colligi poterat, murum illum, e quo hi Lateres deſumpti ſunt, aliquando partem fuiſſe veteris illius Aquæductus mi-

a) *Epiſt. Car. Dat.*

moris, quo Aqua Virgo ex Aquæductu majore in Thermas Agrippæ deducta ſit.

Bina hæc exempla valent ad confirmandam opinionem, quam antehac jam conceperam: ut 1) dum Victruvius & Plinius illud ſolum genus Laterum, quod Græcis *Didoron* dicitur, apud Romanos uſitatum fuiſſe ſcribunt, id intelligi debere de privatis potiſſimum ædificiis: ad publica vero adhiberi conſueviſſe Lateres longe majores. 2) In publicis, paulloque majoribus Romanorum ædificiis, puta: in Aquæductibus, in thermis ac balineis &c. conſtruendis adhibitos fuiſſe Lateres etiam *Tridoros*, id eſt, tres dodrantes ſeu tres Spithamas longos, qualis hic noſter eſt, qualesque non temere fuiſſe arbitror, quos Guillelmus Philander & Octavius Falconerius ſe vidiſſe teſtantur magnitudine duorum pedum & ſextantis; atque adeo 26. unciarum. Hæc enim menſura a tribus dodrantibus ſeu palmis id genus majoribus unica duntaxat uncia diſcrepat, imo ne unica quidem, ſi forte illi in dimetiendis laterculis his recentiore pede Romano, qui antiquo facile ¼ unciæ parte longior eſt, uſi fuerunt. 3) Colligi hinc poſſe videtur, dum Victru-

ctruvius & Plinius tria ſolummodo Laterculorum genera enumerant; unum ſcilicet *Didoron*, apud Græcos æque ac Romanos uſitatum, alterum Tetradoron ac tertium Pentadoron, quibus græcos tantum uſos fuiſſe ſcribunt; id ſcilicet intelligendum eſſe non de Lateribus igne percoctis, ex quibus parietes *teſtacei* conſtrui ſolebant (uti *pag.* 33. *ad Lit. A.* adnotavimus) verum de lateribus illis, qui non igne excocti, ſed ſole tantum ſiccati ad conſtruendos parietes *lateritios* adhibebantur. Immo id certum adparet e contextu ſermonis præcipue apud Plinium quem vide *Hiſt. N. L. XXXV. Cap.* 14.

CAPUT IV.

Inſcriptiones Romanæ, quæ in villa, ruderibus ſupra deſcriptis vicina, adſervantur.

IN Villa Torcularia, cujus parte priore capite primo ſub initium meminimus, complura ſaxa notis Romanis inſignia conſpiciuntur, quæ parietibus inſerta, quædam item humi poſita ſunt. Ex his nonnullas nunc inſcriptiones,

quæ ſcilicet legi poterant, hic adjicere viſum eſt. En illas:

I.

I. O. M.
AEL - - R.FVS
ME-SOR L. II. AD.
V. S. L. M.

Lego: *Iovi Optumo* M*axumo.* ÆL*ius* - - - RvFVS MEnSOR *Legionis Secundæ* AD*jutricis.* A) V*otum* S*olvit* L*ibens* M*erito.*

2.

I. O. M. ET LA. M. CETERISQUE DIS
C. IVL. PIS ĿAN. MAXIM
ÆMIL. PAPVS. TR. LĀ.
LEG. II. A.
V. S. L. M.

Lego: Iovi O*ptumo* M*axumo* ET LA*ribus* M*ilitaribus* (vel forte M*unicipalibus*) CETERISQVE

A) Meminit *Menſorum* Vegetius L. II. *de re militari*, dum ait: *Menſores, qui in caſtris ad podiſmum dimetiuntur loca, in quibus milites tentoria figant, vel hoſpitia in civitatibus præſtant.* Codex Theodoſianus & Marianus Scotus in Codice Præfecturarum Menſores, qui in Pannonia inferiore fuerunt, ſubjiciunt Prætorio Orientis. At Jureconſulti *L.* 12. *Cod.* Menſores alia quoque ſignificatione definiunt, dum eos adpellant menſores, qui frumentum menſurant militibus. Plinius vocabulum idem ad chorographicas & hodæpericas deſcriptiones extendit; ait enim *Hiſt Nat. L. VI. Alexandri M. veſtigiis inſiſtamus. Diognetus & Beton itinerum ejus menſores ſcripſere &c.*

QVE DIS *Cajus* IVL*ius* PIS*i*BAN*us* MAXI-M*us* ÆMIL*ius* PAPVS TR*ibunus* LA*ticlavius* (forte A)) LEG*ionis ſecundæ Adjutricis* V*otum* S*olvit* L*ibens* M*erito* vel L*ibero* M*unere*.

Hæc inſcriptio in baſi eſt, cui impoſita viſitur figura viri ſeminudi in ſolio ſedentis, paludamento ex humeris defluente a tergo, & in gremium reflexo. Deeſt caput ſtatuæ.

In Faſtis Conſularibus legitur Æmilius Papus Conſul cum C. Iuliano Arriano ad annum V. C. 996. æræ vulgaris 243. Qui incidit in annum quintum Imperii Gordiani III. non dubito, quin idem ſit qui hic Tribunus, Laticlavius inſcribitur.

3.

A) Inclinante Imperio non ſolum plura in officia Triboni adpellatio translata fuit, ut, quicunque videlicet jura daret, Tribunus diceretur, e. gr. Tribunus protectorum, Tribunus Notariorum, Tribunus ſtabuli &c. Verum etiam ipſa in militia alius fiebat tribunus cum lato clavo, ſeu *Laticlavius*, alius vacans; quorum ille ab ornamento veſtis, quo decoratus ab Auguſto eſſet ita, dicebatur, hic, quod vel munere functus foret, vel tanquam ſupernumerarios officii adminiſtrationem operiretur. Vide Lazium *Lib III. Comm. Reip. Rom.* Exemplum *Tribuni Laticlavii* ſuppeditat Julius Capitolinus in Maximino dum ait: *Occiſo Heliogabalo, ubi Maximinus comperit Alexandrum Principem nominatum, Romam contendit; quem Alexander miro cum gaudio, mira cum gratulatione ſuſcepit, ut in Senatu verba faceret talia: P. C. Maximinus tribunus, cui ego latum clavum addidi, ad me confugit, qui ſub impura illa beſtia militare non potuit; qui apud divum parentem meum Severum tantus fuit, quantum illum fama comperitis.*

3.

I. O. M.
DVLCENO HELIOPOLITAN. SACRV.
FEC. IN. AVRELI. SECV.
VET. LEG. II. AD. P. PRO. SE. ET. SVIS.
POSV. V. S. L. M.

Lego: *Iovi* &c. ut ſupra. DVLCENO. HELIOPOLITANO. SACRV*m* FEC*it* IN. AVRELI*i*. SECV*ritatem* VETE*rana* LEG*io ſecunda* AD*jutrix Pia* PPO SE ET SVIS POSV*it Voto Suscepto Libens Merito*

In lapidea Baſi. *Dulceni Heliopolitani* exiſtimo nomen Sacrificuli eſſe, quo forte ſacrificante votum perſolverit Veterana Legio II. Adjutrix Pia, & ſtatuam quampiam dedicaverit pro ſecuritate M. Aurelii Antonini Auguſti, dum eundem Vindobonæ in Pannonia ſuperiore periculoſe decumbentem audiret.

4.

Ibidem in latere tumbæ parieti inſertæ.

D. M.
MEMORIÆ. Q. AVRELIÆ. MARTIÆ.
DOM - - - AQ.
VIX. ANN. XLI. D. IIII. M. V. L. PE - - -
ASIANVS.

VET.

VET. LEG. II. AD. CONIVGI. KARISSMÆ.
F. C.

Lego: *Dis Manibus.* MEMORIÆ. *Quintæ.* MARTIÆ. DOM (forte *Domnæ* A) vel *Dominæ*) AQ (*forte Aquinci Quæ*, vel AQ*uinci* tantum: vel potius ſcalptoris incuria AQ pro QVÆ) VIX*it* ANN*os* XLI. *quadraginta & unum.* *Dies* IIII. quatuor. *Menſes* V. *quinque.* *Lucius Peduceus* ASIANVS VET*eranus* B) LE*Gionis* II *ſecundæ* AD*iutricis* CONIVGI. KARISSIMÆ. *Fieri* Curavit.

X In

A) *Domnæ* vel *Dominæ.* Ut maritos *Dominos*, ita uxores *Dominas* adpellari jam tunc mos obtinuit. *De Græco tractum eſſe*, ſcribit Servius in notis ad Virgilium; *quia Græci uxorem Δέσποιναν vocant.* Et idem alibi: *Eſt de jure quaſi per coemptionem: vel dominum maritum, ut dominam uxorem dicere.* Nempe uxor viro fortunarum ſocia eſt, & ut domus ille dominus, ita hæc domina eſt; ſecundum illud: *Ubi tu Cajus, ego Caja.*

B) *Veterani* in Republica libera dicebantur, ait Pitiscus *Lex. Antiq. Rom. Tom. III. v. Veter.* poſtquam *vigintiquinque* Stipendia explevissent teſte Servio in æneid. I. v. 157. ſed Servium eo loco cenſet corrigendum Juſtus Lipſius, & pro *viginti quinque* legendum ſuadet *viginti quoque* Tom. II. de milit Rom. Quod de Auguſti ævo certum eſt; ſcribit enim Suidas: *Veteranus apud Romanos vocatur, qui militia liberatus eſt. Hi autem ad annos viginti militabant.* Et Tacitus Annal. I. refert cum milites per ſeditionem expreſſiſſent, *ut ſextusdecimus ſtipendii annus finem adferret*; diſplicuit Patribus & Principi, & eo abrogato mos priſcus repoſitus, decretumque, *ut viceſimo militiæ anno veterani dimitterentur.* Verum hæc in pedeſtri militia obtinuerunt: equites vero dena duntaxat Stipendia videntur feciſſe. Ita enim Livius l. XXVII. c. 2. *Illis omnibus adempti equi, qui Cannenſium legionum equites in Sicilia erant, addiderunt acerbitati etiam tempus; ne præterita ſtipendia procederent iis, qui equo publico meruerant, ſed dena ſtipendia equis privatis facerent.*

In hoc Epitaphio deſcribendo multa σφάλματα admiſit Cl. Belius. ſic enim illud refert *a*):

a) Not. Hung. Tom. III. p. 183.

D. MEMORIÆ. AVRELIÆ. M.
MARTIÆ. DOME - - AQ. VIX.
ANN. XLI D. IIII. MVLP. D. ASIANVS
VET LEGI. A. D. CONIVGI KARISSIMÆ.

Inſcriptionem hanc ſua in adverſaria vir hic eruditus jam anno hujus Sæculi decimo nono Menſe Majo, ut ipſe perhibet retulit, ſed, uti adparet, obiter tantum ac velut per tranſennam, cum aliis forte rebus magis intentus eſſet. Colligo id ex ejus querela, qua ingemiſcit, vix quemquam eſſe, qui tot priſci ævi reliquias, quas ipſe tunc hoc in loco viderat, *data opera* rimaretur.

Tumba hæc pedes octo longa eſt, lata duos & pollices tres, Saxo albo & ſolido.

5.

Eodem in pariete

MILITARB♥ - - ALVTARBVS - - ERVS SATVRN - - S - LEG. AVG. G. APRONIANO TRIB. MIL.

Lego: MILITARIBVS sALVTARIBVS vERVS SATVRNinuS LEGatus AVGuſtalis Gneio APRONIANO TRIBuno MILitum.

For-

Forte ex Laconici Caldariique Ruderibus, quæ ſupra deſcripſimus; hæc olim inſcriptio eruta eſt. Thermas enim militares, quibus nomen *Salutarium* optime convenit, eo loco extructas aliquando fuiſſe, non temere opinamur. Et confirmat opinionem Laziana inſcriptio de Schola Speculatorum Legionum I & II. Adjutricum Piarum Fidelium refecta in hoc municipio, Modeſto & Probo Coſſ. A)

 De

A) Inſcriptio integra ſic habet: SCHOLA. SPECULATORUM. LEG. I. ET. II. ADIV. PIARUM FIDELIUM. SEVERINARUM. REFECTA. PER. EOSD. QUORUM. NOMINA. INFRA. SCRIPTA. SUNT. DEDICANTE FL. ÆLIANO. LEG. PR. PR. KAL. OCTOB. MODESTO ET PROBO. COSS.

ÆL. OPTATUS. ÆL. CANDIDUS. MACR. SÆMNIANUS. IVL. EMERITUS. CAI. FUSCINUS. IVL. PROBINUS. ÆL. URBANUS. RUS MARTINUS. VA. FESTUS. IVL. ALEXANDER. FL. EMERITUS. VAL. CLEMENTINUS. IVL. PRISCIANUS. VER. VERISSIMUS. IVL. INGENUUS. IVL. CELERINUS IUN. ADIUTOR. AVR. LUPUS. FL. CELSINUS. CURANTE. AURELIO PERTINACE FRUMENTARIO.

Scholæ nomine intelligitur iſthic locus quidam, in quo peculiariter exercebantur milites; unde Scholares milites Vegetio dicuntur, qui tanquam in ſcholis exercentur, haud multum a tyronibus diverſi. *Ita enim*, ait Lazius, *& in balneis ſcholæ erant, quarum Victruvius meminit.* Recte quidem ad rem noſtram. Verum cave hic Victruvianas *ſcholas labri*, & *alvei* confundas cum palæſtris & gymnaſiis.

Speculatorum varia eſt apud veteres ſignificatio. Nam & ii vocabantur *Speculatores*, quos Auguſti & Magiſtri militiæ peculiariter ad ſpeculandas res hoſtium alebant. Meminit horum Livius Dec. III. C VII. Et Marcellinus C. XVIII. Item ii, qui in reis capite plectendis carnificum fungebantur munere. Harum fit mentio Marc. c. 7. *Miſſo, ait, Speculatore juſſit afferri caput ipſius, & ille abiit; & decollavit* eum

De Saturnino quodam Legato Auguſtali vide aliam inſcriptionem vetuſtam in Tranſylvania repertam. ; quam refert eruditus Lazius Comment. Reip. Rom. pag. 295. A)

Aproniani nomen cum diverſis prænominibus aliquoties in Faſtis Conſularibus occurrit.

6.

---

tum in carcere. Et D. Chryſoſt. in illum: *Speculator carnifex, miles ad decollandum ordinatus.* Rurſum Speculatores quoque dicebantur milites corporis Imperatorii cuſtodes, de quibus Tacit. Hiſt. II. *Ipſum Othonem comitabantur ſpeculatorum lecta corpora.*

Erat præterea in Legionibus peculiaris *ſpeculatorum* cohors, quam honoratam fuiſſe oportet, cum inter XXIII. Antonii Triumviri Legiones, qui in nummis argenteis ſignatæ in noſtro etiam Bodenſi Numophilacio inveniuntur, nulla alia præter unam Cohortem *Prætoriam*, & alteram *Speculatorum* obſervetur. Vide *Begeri Theſaur. Brand. Tom. II. pag.* 536. Forte hæc eadem erat, quæ *Spiculatorum*, vel certe *Pilatorum* cohors. Hi Pilis exercebantur. Erat autem *Pilum* telum ligneum, teſte Polybio, longitudine plerumque bicubitali, craſſitudine digiti, quod habebat præfixum Spiculum ferreum unius Spithamæ, ſeu palmi majoris; ut Lipſius etiam obſervat. Ad ſpiculi hujus ictum præcipue exercebantur milites hujus cohortis, ut ſcribit Vegetius L. II. c. 15. quia arte ac virtute directum, & ſcutatos pedites & loricatos equites ſæpe transverberabat.

A) In Inſcriptione noſtra legimus *Legatus Auguſtalis.* Notandum igitur, *Auguſtalium* fuiſſe medium quendam ordinem in coloniis & municipiis. Erant quippe *Auguſtales* infra Decurionum ſeu Senatorum Municipalium amplitudinem, ſed tamen ſupra plebis tenuitatem, fere uti Romæ Equites. Iidem & VIviri ſeu *Seviri* dicebantur a Senario videlicet numero, quem complebant. *Auguſtales* dicti, quod arbitratu & mandato Magiſtratuum majorum ſeu Præſidum ab Auguſtis impoſitorum eligi, aut ſaltem confirmari deberent, qui in hunc ordinem cooptabantur.

6.

Ibidem.

MIÆMEDI. LEG. ⅢⅠ FL. MARITO. PIEN-
TISSIMO.
AVR. MAI - - VXOR. INFE - - -

FL. lege FL*avia*. Legionem quartam Flaviam dictam, opinatur Cl. Lazius vel a Flavio vel a T. Veſpaſiano lectam, eandemque forte cum Syriaca, quam Dio refert. AVR. *Aurelia*. VXOR INFE. *infelix*.

7.

Ibidem in baſi lapidea

AVG.
CETERISQVE DIS HVIVSCE
LOCI - - - - LEG. AVG. PR. BR.

AVG*uſto* non modo Statuas, verum delubra etiam Romani dedicabant poſt ejus apotheoſim. LEG*io*, AVG*uſta*, PR*ima* BR*itannica* forte eadem, quæ alias Prima Minervia, a ſigno videlicet Minervæ dicta, quam Trajanus Auguſtus, teſte Spartiano, in Daciam traduxit. Porro Auguſtæ legiones complures vocabantur; aliæ nempe ſimpliciter Auguſtæ, ut prima, ſecunda, tertia, quarta, octava, decima octava, & vigeſima ſecunda. Aliæ Auguſtæ Prætoriæ; aliæ denique Auguſtæ Prætoriæ

riæ Peregrinæ. Inclinante autem Imperio etiam Auguſtenſium lanceariorum.

8.

In area Caſtelli, in Saxo quodam humi jacente.

MAVR. MARANVS. GOTE - EX CORNV
C BI ET
ÆLIÆ. V VGI. PIENIIS X ET AELIÆ
MA XI.

Hæc inſcriptio, uti patet, ævum Honorii & Valentiani III. ſapit, quo tempore multa Gothorum auxilia militabant in Exercitu Romano. EX CORNV C lego: ex *Cornutorum Coborte.* Inter cetera nempe inclinantis Imperii auxilia leguntur in *Notitia Dignitatum Imperii Orientis*, & *Occidentis* etiam *Cornutorum Auxilia* Palatina ſub Magiſtro Militum Præſentiali, & inter Fabricas Illyrici, ac Pannoniarum *Scutaria Cornutenſis.* Scotus Cornutas cohortes dictas putat a cornuum cervi inflexorum inſignibus, quæ ſuis præfigebant vexillis: Pancirolus vero ab oppido Illyrici *Cornuto.* Erant autem duo hoc nomine, Juniorum ſcilicet ac Seniorum, inter auxilia Palatina Occidentis.

BI ET ÆLIÆ forte SiBI & Æliæ. VVGI PI-
EN. forte *Conjugi Pientiſſimæ*
IIS X. forte *Seſtertium decem* videlicet millibus,
intellige agrum, vel monumentum comparavit. Verum non lubet diutius immorari in epigraphe tam obſcura tamque male conſervata.

CAPUT. V.

Explicatio duorum Saxorum, qui Tabula III. exhibentur.

IN peramæno colle, quem excipiunt alii paulo altiores vitiferi colles, Ruderibus parte prima deſcriptis ad meridiem, ſitum eſt Cœnobium PP. Trinitariorum, ac perelegans Templum Divinæ Matris honoribus ab Excell. piæ memoriæ C. NICOLAO ZICHY de Vaſonkö erectum, & a minoribus Cellis Marianis nuncupatum. Huc dum conveherentur Lapides ædificio neceſſarii, inventi ſunt non pauci e vicino agro eruti, qui Romanæ habitationis veſtigia luculenta partim inſcriptionibus, partim figuris opere anaglypho cælatis oſtentabant.

bant. Horum aliqui variis in locis parietibus adjacentis horti, & alterius ædificii inſerti ſunt. Iſti autem, qui ceteris & magnitudine & elegantia longe præſtant, prope Cœnobii januam diu neglecti jacuerunt, quos nunc bona illorum PP. venia, perſoluto videlicet pretio, ad exornandum Regiæ hujus Univerſitatis Bibliothecæ atrium transferri curavimus.

Quæ ſit utriusque Lapidis longitudo & latitudo, adjectæ *in eadem Tab. III.* ſcalæ geometricæ ope intelligere potes.

Figura exhibet Nympham dextro cubito urnæ incumbentem, ſiniſtra vero manu ad genua defluente. Utrinque ad latus alia corpora velut undis immerſa viſuntur, cœlatura minus prominente. Capita deſunt. Margines dexter ac ſiniſter ornantur vite racemis onuſta, quæ prodit e vaſculo, duobus caniculis, an Leunculis? ſtipato.

Indubie Saxum hoc vel Aquæductus cujuspiam caput, vel Nymphæum, vel Natationem ornabat, vel alteri cuipiam Balinei ædificio impoſitum olim fuerat.

Si-

Simile quid ex alterius haud deterioris Lapidis inſcriptione colligere licet: quæ ſic habet:

C. IVLIVS. SEVERVS. OB. HONOREM.
MAGISTERI.
COLL. F-BRVM. SILANVM. PECVNIA.
SVA. FECIT.
MVCIANO. ET. FADIANO COS.

Indicat nimirum hic lapis, non defuiſſe huic Municipio, vel Coloniæ ſuos etiam fontes artificiales, aquasque ſalientes; ſiquidem inter ceteros Cajus quoque Julius Severus ob honorem Magiſterii Collegii Fabrum; ſeu eo, quod factus eſt Magiſter Collegii Fabrorum, A)

Y unum

A) De *Fabris*, eorumque *collegio*, & *Magiſterio* collegii hæc adnotamus. Quamvis milites Romani pleraque ipſi fabricaverint, fabros tamen profeſſione ſua complures in qualibet Legione fuiſſe & ſcriptores antiqui & inſcriptiones frequentes confirmant: falſumque eſt, quod Aurelius Victor ſcribit, Hadrianum Cæſarem primum omnium Romano in exercitu fabros inſtituiſſe: Nam T. Livius L. 1. Dec. 1. narrat *Servium Tullum Regem duas fabrorum centurias conſtituiſſe, quæ ſine armis ſtipendia facerent, datumque eis munus, ut machinas in bello ferrent*, ſive ut Lipſius vitioſam lectionem emendat, *facerent*. Hoc enim illorum erat muneris, ut fabricarentur machinas; unde Dionyſius has ipſas *duas centurias* ὁπλοποιῶν καὶ τεκτόνων vocat, id eſt, eorum qui armorum fabri, itemque architecti eſſent. Julius quoque Cæſar, *L.* II. *de bell. Gall.* cum ſubito naves reficiendæ eſſent, *ex legionibus fabros deligit, & ex continenti alios arceſſit*. Quam multiplices autem ii fuerint, & quam diverſas exercuerint artes, id ex Vegetio colligitur L. II. *de Re milit.* *Habet*,

unum Silanum, id eſt, tubum Salientis aquæ A) ſuis curavit fieri ſumptibus anno V. C. 953. æræ vulgaris 201. Septimii vero Severi Aug. an-

---

bet, inquit, *Leglo fabros lignarios, inſtructores, carpentarios, ferrarios, pictores, reliquosque artifices ad hybernorum ædificia fabricanda, ad machinas, turres ligneas, ceteraque quibus vel expugnantur adverſariorum civitates vel defenduntur propriæ, præparatos - - - usque eo, ut etiam cunicularii eſſent, qui ad morem Beſſorum, ducto ſub terris cuniculo, murisque intra fundamenta perfoſſis, improviſi emergerent ad urbes hoſtium capiendas*

Collegium Fabrum eſt ſodalitas, cœtus, vel conventus artificum & opificum; quale primum Romæ inſtituiſſe Regem Numam, Plutarchus teſtatur: *Ut differentiam*, inquit, *tolleres, qua civium Romanorum alii Quirites, alii Romani, alii a Tatio, alii a Romulo dicebantur, artium diviſionem excogitavit, tibicinum, aurificum, Fabrum, tinctorum &c. reliquas vero artes in unum redigens, unum ex his Collegium inſtituit.* At Florus Servium Tullum potius Collegiorum auctorem adſerit, cum ita ſcribit L. I. c. 6. *Ab hoc Rege populus Romanus relatus in cenſum, digeſtus in claſſes, decuriis atque Collegiis diſtributus, ſummaque Reipublicæ ita ordinata eſt, ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque diſcrimina in tabulas referrentur.*

Collegia id genus Fabrorum Tignariorum, Dendrophororum, ferrariorum, Centonariorum &c. quorum frequentiſſima in Lapidum inſcriptionibus mentio fit, non Romæ tantum, ſed paſſim per Provincias, in quibus Legiones Romanæ ſtativa habebant, vel hybernabant, diſtributa erant, ſuosque habebant Præfectos, *Magiſtros*, Decuriones, quinquennales plerosque, unde apud *Sertor. Urſat. in Notis Rom.* legimus: MAG. QUINQ. COLL. FABR. TIGN. *Magiſterium* itaque Fabrorum fuit Munus quoddam honoratum, uti patet ex noſtra etiam inſcriptione: OB HONOREM MAGISTERI COLL. FABRUM.

A) *Silanos* antiqui vocarunt formas lapideas & imagines, ex quibus aquæ ſaliebant. Itemque hoc nomine ipſam intellexere aquam e tubo ſalientem. Hoc ſenſu habetur apud *Cornelium Celſum* *L. III. c.* 18. dum ait: *Confert etiam ad ſomnum aliquid Silanus juxta cadens*: & apud *Lucretium*: *Corpora Silanos ad aquarum* *ſtra-*

anno 8. In hunc enim annum incidit Conſulatus *Fabiani* & *Muciani*, uti eſt in M. Aurelii Caſſiodori Chronico (in quo adnotatur ſimul: his Coſſ. Thermas Severianas apud Antiochiam & Romæ factas, & Septizodium inſtructum) Ad eundem annum in Faſtis quoque Conſularibus referuntur *L. Annius Fabianus*, & *M. Nonius Mucianus.* Ex hoc igitur Conſulatu ætas quoque inſcriptionis noſtræ innoteſcit. Neque obſtat, quod in lapide, FADIANO, non ut in Chronico; FABIANO: itemque quod huic *Mucianus* præponatur, qui in Faſtis poſtpoſitus eſt.

Nam quod ad primum attinet: ruditate, aut inattentione ſcalptorum noſtro etiam ævo non raro fit, ut nonnullæ literæ, quæ aliquam inter ſe habent affinitatem, permutentur, ad

 altera

ſtrata jacebant, id eſt, ad rivulos ſuſurrantes aquarum leniter decidentium. Quin & *tullii* vocabantur quandoque iidem qui Silani; ſic Feſtus: *Tullios*, ait, *alii dixerunt Silanos.* Plinius tamen uti & Sex. Jul. Frontinus plerumque *Salientium* nomine pro *Silanis* utitur. Ita *Plinius L. XXXVI. p.* 845. *Agrippa lacus*, inquit, *ſeptingentos fecit*, *præterea Salientes centum quinque.* Quem in locum Harduinus, *ſalientes*, ſubjungit, *hoc eſt ſcaturigines aquarum, quæ tubulis emittuntur*, & *fiſtulis.* *Julius* vero *Frontinus de Aquæduct.* *Eodem*, ait, *anno Agrippa ductus Appiæ*, *Anienis*, *Martiæ* (aquarum videlicet) *pene delapſos reſtituit*, & *ſingulari cura compluribus ſalientibus inſtruxit Urbem.*

altera alterius vice exprimatur, ut: D pro B. quemadmodum alias in vetuſtis inſcriptionibus perſæpe B pro V. BIXIT pro VIXIT. obſervamus.

Quod ad alterum autem: fieri ſane potuit, ut Scalptor non erraverit *Mucianum Fabiano* præponendo. Cum enim tot aliæ monumentorum vetuſtæ inſcriptiones jam repertæ ſint, in quibus duorum Conſulum nomina diverſo, quam in Faſtis vel Chronicis leguntur, ordine poſita adnotantur, diverſitatis hujus aliquam fuiſſe rationem oportet. Ac forte a vero non aberrabimus, ſi exiſtimaverimus, *Mucianum* eo menſe *Faſces* geſſiſſe, quo hæc inſcriptio facta eſt, atque idcirco *Fabiano* præpoſitum eſſe. Conſtat enim honorem Faſcium, & cum hoc velut imperium alternis menſibus unum geſſiſſe Conſulem, cum duo ſimul eſſent. De hac viciſſitudine hæc ſcribit Gellius: a) *Capite ſeptimo legis Iuliæ priori ex Conſulibus faſces ſumendi poteſtas fit, non qui plures annos natus eſt, ſed qui plures liberos, quam collega, aut in ſua poteſtate habet, aut bello amiſit. Sed ſi par utrique numerus liberorum eſt; maritus, aut qui in numero maritorum eſt, præfertur. Si vero*

a Noct. Attic. II. 15.

ambo

ambo & mariti & patres totidem liberorum ſunt: tum ille priſtinus honor inſtauratur; & qui major natu eſt, priores faſces ſumit. Super his autem qui aut cælibes ambo ſunt, aut parem numerum filiorum habent, aut mariti ſunt, & liberos non habent, nihil ſcriptum in lege de ætate eſt. Solitos tamen audio, qui lege potiores eſſent, faſces primi menſis collegis concedere, aut longe ætate prioribus, aut nobilioribus multo, aut ſecundum conſulatum ineuntibus. A)

A) Ad noſtram obſervationem juvat aliam Cl. Octavii Falconerii in eodem argumento diſſerentis addere. Nempe in Laterculo ſuo, uti jam ſupra retulimus, cum videret duorum Conſulum nomina æque alio, quam in Caſſiodori aut Proſperi Aquitanici Chronico, ordine inſcripta, videlicet: *Titiano & Gallicano Coſ*, cum in Chronicis & Faſtis eſſet *Gallicano & Titiano Coſſ.* ita ea de re ſcripſit ad Carolum Datum V. Cl. „ Nec inquirendum, nec „ examinandum hic ego mihi exiſtimo, utris magis accedendum, „ ac major habenda fides ſit, Caſſiodoro, ac Panvinio, an iſtius „ temporis inſcriptionibus? erraverintne Figuli homines imperiti ac „ rudes, an Scriptores, e quibus hæc Caſſiodorus hauſit, quosque „ Panvinius in Faſtis adduxit? Inter publicatas ſane a Grutero in„ ſcriptiones lapis eſt, in quo mentio fit *Gallicani Conſulis ordi-* „ *narii.* Ita enim illi appellari ſoliti, qui Kal. Jan. Conſulatum „ inibant, ut ab *ſuffectis* diſtinguerentur, qui reliquis menſibus in „ ordinariorum locum ſuccedebant: quorum quidem Principatu Com„ modi quinque & viginti uno anno fuiſſe perhibentur. „

CAPUT VI.

Aliæ inſcriptiones ejusdem Loci.

I.

Ad hortos PP. Trinitariorum.

NVMINI. AVG. ET. GENIO. IMP. CAES.
T. Æ. HADRAN.
ANTONN̈ COLLEG. AVGVSTAL. IMPEN-
DIS. SUIS.
FECERVNT. PRÆFEC. F. C. IVL. CRE-
SCENTE
L. P. D. D.

Lego: NVMINI AVG*uſti* ET GENIO IM*Peratoris* CÆS*aris* T*iti* Æ*lii* HADRIAN*i*. ANTONIN*i* COLLEG*ium* AVGVSTAL*e* IM-P*e*NDI*i*S SVIS FECERVNT PRÆFEC*to* F*abrum* C*ajo* IVL*io* CRESCENTE.

L*æti* P*oſuerunt* D*ecreto* D*ecurionum*.

Hæc inſcriptio indicat publicum aliquod ædificium in hoc municipio extructum, & *Antonino Pio Auguſto* dedicatum fuiſſe a Collegio Auguſtali. *Auguſtales* in Municipiis eundem fere honoris gradum habuiſſe, ac Romæ Equites

jam

jam *Cap. IV.* adnotavimus. *Decuriones* vero in Coloniis ac Municipiis *Senatorum* obibant vicem. A)

Advertendum eſt ad prænomina *Antonini Pii Auguſti.* *TITVS* dicitur a Proavo *Tito Veſpaſiano Auguſto*, ait doctiſſimus Harduinus *a*) contra fidem Hiſtoricorum ſibi ſuſpectam, qui paternum Antonini Pii genus e Gallia Tranſalpina, Nemauſo videlicet deducunt ab avo Tito Aurelio Fulvio, & patre Aurelio Fulvio; maternum vero ab Avia materna Bovinia Procilla, & matre Arria Fadilla: traduntque ipſum Antoninum Pium, priusquam Auguſti titulo auctus eſſet, Titum Aurelium Fulvium Bojonium dictum.

a) Oper. Select. pag. 755.

Ælius idem Antoninus vocatur, ut rurſus exiſtimat Harduinus, ex Matre Conjuge M. Antoniani Pii *Ælia Julia*, & ex Avo materno Auguſto *Nerva*. *Hadrianus* vero ab *Hadriano* ado-

A) Decuriones a Decuriis dictos municipiorum Senatores eſſe, Cicero in Antoninum teſtatur dum ait: *Lex promulgata eſt de tertia decuria.* Et in Verrem: *Hunc hominem judicum numero habebimus, hic alteram decuriam Senatoriam judex obtinebit.* Idem pro Sextio: *Recita, quid decreverint Capuæ Decuriones.* Ceterum *Decurionum* nomine alios quoque præfectos non raro deſignant hiſtorici & inſcriptiones, ut Decurionem equitum, Decurionem caſtrorum, Decurionem fabrorum, Decurionem augurum.

adoptante æque Auguſto. Ceterum & *Hadrianus* Imperator *Ælii* prænomen habuit; quamobrem dici poteſt utrumque, *Ælii* nempe & *Hadriani* prænomen Antoninum Pium ex adoptante adſumpſiſſe.

Porro Inſcriptionis noſtræ auctoritatem quoad prænomina *Titi Ælii Hadriani* confirmant Numi etiam; qui non obvii quidem ſunt, cum in vulgaribus plerumque noniſi ANTONINVS AVG PIVS ſimpliciter inſcribatur. Sic in Budenſi Numophylacio inter Numos æneos *primæ formæ* occurrit unus cum hac epigraphe: IMP. CÆS T. ÆL. HADR. ANTONINVS. AVG. PIVS P. P. Caput Antonini Pii laureatum. Ex parte adverſa TR. POT - - COS. IIII. infra - OMA (forte *Roma*) in area numi S. C. Figura ſeminuda ſedens, dextra clypeo nititur, ſiniſtra elevata. Cum iisdem prænominibus Harduinus quoque aliquot ejusdem Antonini Pii numos recenſet; in omnibus tamen (unico excepto) CÆS. poſt T. ÆL. poni obſervavi.

2.

Ibidem in baſi lapidea.

LEG. II AD. P. F. S. V. S. L. M. IMP. D. N.

SE-

SEVE. ALEX. T. CASSI. DIONE COS.

Lego: LEGio *Secunda* ADiutrix *Pia Fidelis Severina* Votum *Solvit Libero Munere* vel *Libens Merito.* IMP*eratore Domino Noſtro* SEVE*ro* ALEX*andro.* T*ito* CASSI*o* DIONE CO*nSulibus.*

In Faſtis Conſularibus ad annum V. C. 982. ӕ. V. 229. & Olympiadis CCLII. an. 1. leguntur Conſules *M. Aur. Sev. Alexander Imp. III.* & *Caſſius Dio.*

In hac quoque inſcriptione COS. non autem COSS. poſitum eſt; quo firmari videtur obſervatio, quam ſupra fecimus.

Conſulatus iſte Modeſti & Probi Conſulatum immediate ſequitur, ſub quo Scholam ſpeculatorum Legionis I. & II. Adjutricum hic loci refectam ex Inſcriptione Lazii ætate reperta ſupra retulimus; in qua hæ Legiones pariter *Severinæ* vocantur.

Hic ille *Caſſius Dio* eſt (non autem ut vulgus eum adpellat Dio Caſſius) unus e celeberimis Hiſtoriæ Romanæ ſcriptoribus, natus Nicææ urbe Bithyniæ, Patre Aproniano Proconſule Ciliciæ Imperante Hadriano. Scripſit octuaginta libros græco idiomate in octo Deca-

 des

des diviſos, ex quibus pauci, magno Rei literariæ damno, interitum evaſerunt. A)

3.

Ibidem.

I. O. M.

OB. SALUT. HADRIANI. AVGVR.

P. V. PO - - - -

Lego: *Iovi Optimo Maximo* OB SALVT*em* HADRIANI AVGVR*es Publico Voto* PO*ſuere.*

4.

Ibidem in alterius ædificii pariete.

. . . ARTENOPENI FL. COGITATVS

SIGN. LEG. II. ADI.

Id eſt: *Signifer Legionis Secundæ Adjutricis.* Signiferi Romani, ut recte Juſtus Lipſius ex columna Trajani adnotat, pelle induebantur Leonina, quæ caput, humeros, dorſumque tegebat, cauda pedes attingente. Amictum ejus-

A) Ex univerſo Dionis opere unicum Librum trigeſimum quintum integrum habemus, ex præcedentibus vero nonniſi fragmenta quædam; ex viginti vero, qui trigeſimum quintum ſequebantur, compendium quodam a Xiphilino factum reſtat. Hic Hiſtoricus magnæ eſt auctoritatis in iis, quæ ſuo ævo contigiſſe narrat. In aliis vero non immerito a Criticis ſubleſtæ fidei, aut pravi judicii arguitur; præcipue quæ adverſus Ciceronem, Brutum & Senecam ſcribit; *hæc etiam omnino*, ait Voſſius, *in Dione aut inſignem judicii defectum, aut malam mentem arguunt.*

ejusmodi eleganter depingit Virgilius de Aventino canens. A)

Legionum apud Romanos varia erant ſigna, ut: Aquilæ, Lupi, Minotauri, Equi, & Apri, quorum ſimulacra ſingulis ordinibus præferebant ii, qui *ſigniferi* adpellabantur. Auguſtorum ævo etiam imagines Principum inter ſigna militaria numerabantur. Patet iſtud ex Herodiani L. VIII. ubi cædes Maximi refertur. *Poſtquam*, inquit, *de ſignis militaribus illius imagines detraxerant, prodeuntem mox e tentorio cum filio, ut ad eos loqueretur (hoc illi non conceſſo) continuo obtruncant.*

5.

In Arce Budenſi ad portam Albenſem.

IMP. CÆSARI. M. ANTONIO. GORDIA-
NO. PIO. FEL.
INVICTO. AVG. PONTIFICI MAX.
TRIB. POTEST. III.
COS (*intercedit cavitas*) COS. P. P.
LEG. II. ADI. P. F.

Z 2 GOR-

A) Æneid. L. VII. *Ipſe pedes tegmen torquens immane leonis*
Terribili impexum ſeta cum dentibus albis
Indutus capiti, ſic regia tecta ſubibat.

GORDIANA. - EVOTA. NVMN. MA-
IESTATIQVE. EIVS.

Eandem inſcriptionem refert D. IOANNES MILLER, *a*) in qua tamen non pauca ſunt, quæ ab Apographo diſcrepant. Ut: CÆSAR. IM. pro CÆSARI. M. item LEG. TADIPE. pro LEG. II. ADI. P. F.

a) *Epiſt. viciſſit. metr. Urb. Bud. pag.* 84.

Lego: IMP*eratori* CÆSARI. *Marco* ANTONIO GORDIANO PIO. FEL*ici* INVICTO AVG*uſto* PONTIFICI MAX*imo* TRIB*unitia* POTEST*ate* III. CO*nSuli* (hiatum expleo PRO, quod junctum ſequenti COS indicat PROCO*nſuli*) *Patri Patriæ* LEG*io*. II. ADI*utrix Pia Fidelis*. GORDIANA *d*EVOTA. NVMINI MAIESTATIQVE EIVS.

Hæc inſcriptio arguit a Legione II. Adjutrice inſigne quodpiam Opus honoribus Gordiani III. Auguſti dedicatum fuiſſe. Hic quidem Lapis in colle iſto effoſſus eſt anno 1757. dum Præſidii hujus mœnia reficerentur; arbitror tamen eum ad hanc arcem ex Budæ Veteris ruderibus translatum aliquando fuiſſe. Jam enim Bonfinii, itemque Lazii ætate, ipſis his auctoribus atteſtantibus, complura monumen-

ta

ta ex Budæ veteris fundo eruta, huc tranſlata fuere.

Ex titulis autem & ex annis Tribuniciæ poteſtatis perſpicue colligitur, inſcriptionem hanc non ad Gordianos, qui Africani dicuntur, ſed ad poſtremum illum, qui dein Philippi fraude ſublatus eſt, pertinere. A)

A) Ut diverſitas prænominum ac titulorum in Gordianis pateat, operæ pretium exiſtimo hic ea, quæ Harduinus Oper. Select. pag. 827. ingenioſe diſſerit, compendio inſerere. „ Fuit, ait ille, „ Gordianus Pius Felix, filius Gordiani Africani Patris, frater natu „ minor Gordiani Africani alterius. Titulo Pii Felicis ſignificat ille „ ſe materno genere oriundum ex Commodo Auguſto Pio Felice, „ a quo utrumque nomen hæreditarium acceperit. A Commodo e„ nim ad Gordianum iſtum nemo hæc ſibi cognomina ſumpſit; ſed „ *Pii* tantum Auguſti fuerunt, quoniam videlicet vel eſſent ab An„ tonino Pio non per Commodum ſed per ſororem ipſius, vel ab „ Antonio Pio fratre Antonini. Duxit igitur uxorem ſecundis nu„ ptiis neptem Commodi Auguſti Gordianus Africanus pater; ea le„ ge conſueta, & quidem jucun[illegible], ut *Pii Felicis* cognomen acci„ peret Filius ex eo conjugio naſciturus: quo profiteretur ſe Commo„ do Aug. & nomen & bonorum haud pœnitendam partem acceptam „ referre. Inde iſte igitur *Pius Felix* fuit; cum pater ipſius & fra„ ter natu major, *Pii* quidem ex Antonino Pio eſſent *Felices* non „ eſſent.

Hæc Harduinus de Gordiani Tertii nominibus *Pii Felicis* ex obſervatione illa, qua priores duo tantum *Pii*, non item *Felices* inſcribi ſolent. Jam rationem quoque, cur tam hic, quam illi Gordiani non Antoninos potius, ſed Antonios ſeſe adpellent, audiamus. Præmiſſa Gordianorum genealogia e ſolis nummis deducta (hiſtoricos enim nihil moratur) in qua pro ſtipite Antonianum Pium patrem Antonini Pii ſtatuit, hæc ſubjicit: „ Qui uxorem, inquit, duxerat „ Antoniam, is inde *Antonianus* dictus eſt; ut *Gordianus*, qui „ Gordiam. Inde & qui ex eo matrimonio eſt prognatus, is *An-*

„ *to-*

Digitized by Google

Conſulatui Auguſtorum non raro Proconſulatum adjungi ſolitum confirmant aliæ inſcriptiones veteres apud *Gruter*.

Ex eadem inſcriptione patet, Legionem II. Adjutricem titulis *Piæ Fidelis* alia inſuper nomina ab Imperatoribus derivata ſibi adjunxiſſe; nam quæ in prioribus inſcriptionibus a Se-

---

„ *tonianus* pariter, vel *Gordianus* fuit; Nepos autem, *Antoninus*.
„ Pronepos vero & frater nepotis primigenium gentis nomen aſſumebat, ac dicebatur, e. gr. *Antonius*, *Maximus*; nec amplius
„ *Antonianus* aut *Antoninus*; *Maximianus* item aut *Maximinus*. Inde ſunt, porro ait Harduinus, Gordiani in nomis *Antonii*, nunquam *Antonini*; quoniam non ex Antonino Pio Aug.
„ ſed ex ipſius fratre *Antonio Pio* genus traxerunt. Ob reverentiam autem *Antonini Pii Aug.* permanere in ſua gente nomen illud velut proprium poſteri ejus voluerunt: & *Antonini* omnes,
„ nemo dici Antonius voluit - - - At Gordianus noviſſimus dum ſe
„ & *Antonium* & *Pium Felicem* inſcribit, ſimul ex *Antonio* fratre *Antonini Pii*, & ex ipſomet Antonino Pio ſe oriundum prædicat: ex *Antonio* quidem, dum *Antonium* vocat, ex *Antonino Pio* autem, cum nepotis ipſius *Commodi* habet cognomina.
Similiter oſtendit Harduinus, cur Gordianus noſter *Marci* prænomen habeat, quoniam nempe illud proprium eſſe primogenitorum e Stirpe *Marci Antonii* Triumviri deſcendentium adſerit.

Ceterum hæc repugnant veteribus hiſtoricis, merumque ingenii commentum ſapiunt, ut ut numorum fide ſubtiliter probatum. Duorum enim Gordianorum genus paternum Herodianus & Capitolinus e Gracchorum gente, maternum vero a Trajano Imperatore per *Metium Marullum*, & *Ulpiam Gordianam* deducunt. Id quidem fatendum eſt, de Gordiano III. mire variare ſcriptores antiquos, quorum quidam eum Gordiani ſenioris Africani nepotem ex Filia, alii nepotem ex Filio, & nonnolli filium potius natu minorem faciunt. Quæ opinionum diverſitas occaſionem opinor dedit, cur ex recentioribus aliqui quatuor fuiſſe Gordianorum nomine Auguſtos exiſtimarint.

Severo Alexandro *Severinam* ſe dixit, hic a *Gordiano* III. nomen *Gordianæ* ſibi attribuit. Adparet item hanc Legionem *Gordiano* Auguſto peculiariter addictam fuiſſe; ſed neque id mirum, ſiquidem Hiſtoricorum teſtimonio Gordianus iſte ante Philippi factionem in deliciis fuerat omnibus adeo, ut ſi Cordo apud Capitolinum fides, Gordianum omnes milites filium adpellaverint, Senatus omnis filium dixerit, populus univerſus delicias ſuas eundem nominaverit. Erat enim Gordianus hic, ut ſcribit Capitolinus, *Juvenis lætus, pulcher, amabilis, gratus omnibus, in vita jucundus, in literis nobilis, prorſus ut nihil præter ætatem deeſſet imperio.*

6.

In arce: ad Domum Civicam, in Lapide ſepulchrali.

POMPVLENIO. ADAVCTO. POMP. IVNIVS.LEG. II. AD. LIBERTO MEREN. POSVIT.

Hunc Lapidem huc translatum ajunt ex loco illo, in quo anno 1752. Urna quædam lapidea cum numiſmate cupreo *Valeriani* Auguſti, & vaſculis quibusdam cineres continentibus, ali-

aliisque reculis, quæ defunctorum Sarcophagis Romana ſuperſtitio imponere quondam ſolebat, effoſſa fuerat. Urnæ hujus, rerumque in ea repertarum accurata deſcriptio *in Epitome viciſſitudinum & rerum memorabilium de Lib. Regiaque Urbe Budenſi per Nob. Joan. Ferd. Miller* concinnata habetur.

CAPUT VII.

Adjiciuntur inſcriptiones Romanæ, Superiori ævo Budæ repertæ.

INſcriptionibus hactenus recenſitis, quas ipſi ex lapidibus ac marmoribus collegimus, juvat nunc veluti mantiſſæ loco adjicere illas quoque, quæ ſuperioribus temporibus Budæ repertæ, & a Wolfgango Lazio Viennenſi Medico ac Hiſtorico Cæſareo eruditis de Rep. Rom. Commentariis rhapſodiarum inſtar ſparſim interſertæ ſunt. Æquum enim cenſeo, ut pretioſæ id genus antiquitatis reliquiæ, quibus priſtinus florentiſſimæ hujus Urbis ſtatus illuſtrari poſſit, in aliquo demum opere in unum collectæ eruditis proponantur.

I.

Digitized by Google

1.

DIS CONSERVATORIBVS
GENIVS CAPELLIANVS LEG. AVG.
PR. PR.
SOD. TITIVS.

Compendia interpretor LEG*atus* AVG*uſtalis* PR*ætorii* PR*imi*; vel ut Lazius vult, *Prætorii Peregrini*. SOD*alis* TITIVS.

Legatorum varia erant genera, quæ recenſet Lazius. *a*) Hic, ut opinor, *libera* ac *votiva* Capelliani *Legatio* intelligenda eſt. Cicero *in Orat. pro Flacco* ſcribit, *legationes liberas multos ſæpe bonos viros ſumpſiſſe, voti exigendi cauſſa.* Et alibi: *b*) *ſcripſi ad Eutrapelum, ut is meas literas ei redderet: legatione mihi opus eſſe, honeſtior eſt votiva: ſed licet uti utraque.*

a) Comment. Reip. Rom. L. II. C. VI.

b) L. 15. ad Atticum.

Inter ſodalitia, ſeu inferiora Sacerdotum collegia, quæ Flaminibus ſubjecta erant, antiquiſſimum erat ſodalium Titiorum.

2.

Q. VATINIO. ADIVTORI. QVONDAM
CENTVR. LEG. II. ADIVTR.
H. M. V. ÆL. DIODOTVS C. V. HERES.
PIVS. FECIT.

Compendia: CENTVR*ioni* LEG*ionis ſecundæ* ADIVTR*icis* Hoc *Monumentum Vivens Ælius* .. C. V. *Clariſſimus Vir*.

3.

IVLIO. ATHENODORO. FRATRI. EIVS.
QVI. VIXIT ANNIS XXXV. EVTHEMIA.
QVEM SEPVLTVRA COLL. CENT.
CONTVLIT.

COLL. CENT. id eſt: *Collegium Centonariorum*, cœtus videlicet Sartorum apud veteres Romanos.

4.

L.P. VALERIO HELIODORO. TI. LE. II. ADI.
L. P. VALERIVS CHILO. FILIVS. EIVS.

TI. lego TI*roni* LE*gionis ſecundæ* ADI*utricis* L. P. id eſt *Lucius Publius*.

5.

DEO INVICT.
CORNEL. ABASCANT. LIB. CORN. PAVLI

Deo Invicto. Cornelius Abaſcantius Libertus Cornelii Pauli Proprætoris Legionis Secundæ Adjutricis.

6.

COCCELÆ VALERIÆ P. TENACIVS GE-

ME-

MELLINVS AVG. EX TESTAMENTO P.
TENACI. VINDICIS. LEG. I. P. CL.
D. D. D.

P. *Publius*. AVG. *Auguſtalis*. P. CL. *Piæ* CL*audianæ*. vel forte erronee deſcriptum LEG. I. P. CL. *pro* LEG. IIS. CL. quo caſu legendum eſſet LEG*atum* IIS. id eſt *Seſtertium* CL. ſeu *Centum quinquaginta*, *Dedit Decreto Decurionum*.

7.

L. VALERIVS. L. ANI. CRESCENS. VER. MIL.
LEG. II. ADI. PF. COMINI. PAVLIN. ANN.
XXXX. STIPENDIOR. XVIII.
T. F. H. F. C. H. S. E.

Lego: *Lucius Valerius Lucius Anius Creſcens Verus* (vel ſi forte erronee VER pro VET poſitum; lege *Veteranus*) *Miites Legionis ſecundæ Adjutricis Piæ Fidelis Cominio Paulino Annorum quadraginta*, *Stipendiorum octodecim*. *Teſtamento Facti Hæredes Fieri* Curarunt. H. S. E. *Hic ſitus Eſt*.

8.

IVLI. ATHEN. LIBERTO. ET. HÆRED. IVLI.
CRESCENTIS. Q - S. LEG. X. GEM. QVI.
POST. OBITVM. EIVS. VIXIT. ANNVM. I.

MENSES. III. IVL. IVLIA. CONIVGI. CARISSIMO. P. C.

Julio Athenodoro - - - Q - S *Quæſtoris Legionis decimæ Gemellæ* &c. P. C. *Poni Curavit.*

9.

I. O. M. PRO. SALVTE. CL. POMPEIVS FAVSTVS DEC. COL. AQ. ÆDIL. IIVIR. PRÆF. COL. FABR. PATRONVS. DVX.

Ita hanc inſcriptionem refert Lazius *Lib. cit. pag.* 298. *edit. Francof.* At idem *libro eodem pag.* 625. mutat in hac inſcriptione COL. AQ in COL. EQ. & COL. FABR in COH. FABR. ac denique pro PATRONVS DVX. ponit : QVÆ PATRONVS DVXI. COL. SS. Et rurſus *pag.* 953. *ejusdem editionis.* COLL. FABRVM. QVÆ. PATRONVS. DVXIT. COLL. SS. Ad hæc : tribus his locis notat Lazius inſcriptionem hanc in Buda veteri inventam, poſtea ad novam Budam, & quidem in ædes D. Andreæ de Bathor translatam eſſe ; poſtea vero *pag.* 951. hanc eandem ſcribit in Salwar, ubi Salva vetus, repertam, indeque ad Bathorianam domum fuiſſe tranſpoſitam. Quæ antilogia, vocumque diſcrepantia cum incertum relinquat, quæ demum notæ hujus inſcriptionis

nis optime ſuo conveniant autographo, idcirco non eſt, cur in earum interpretatione immoremur.

Epigraphen de ſchola ſpeculatorum primæ & ſecundæ Legionum Adjutricum hic refecta jam antea ex Lazianis Commentariis recenſuimus.

Superat unica eaque facile celeberrima, de *Sicambria* videlicet a Legione neſcio qua *Sicambrorum* hic loci olim poſita; ſed hanc alteri reſervamus loco: ſuſpectam enim habemus, immo e ſyllabo authenticarum expungendam, ac merces inter adulterinas, confic̄ti inſtar Numiſmatis, rejiciendam eſſe, alibi probabimus.

Nunc vero quoniam in Lapidum hic repertorum inſcriptionibus nihil frequentius, atque Legionis II. *Adjutricis* nomen occurrit, & hanc nonnulli aut e Sicambris, populo Germaniæ, coaluiſſe, aut Sicambricam vel Sicambrorum Legionem, ex qua vetus Romanorum municipium hic loci poſitum adpellationem acceperit, dictam fuiſſe autumant, ideo hæc nunc ad ſanioris critices præcepta exigere, ac opinationes iſtorum tantiſper expendere ju-

vabit. Quod ut certo fiat ordine: agemus 1) de tempore, quo Legio II. Adjutrix ad hanc Danubii ripam ſtativa habuerit. 2) De ejusdem Legionis II. Adjutricis titulis & cognominibus. 3) De nomine hujus municipii, in quo ejusdem Legionis pars non modica præſidio fuit. Valebunt hæc forſitan ad diſcutiendas, qua licet, eorum temporum in Hiſtoria tenebras.

CAPUT VIII.

De tempore, quo Legio II. Adjutrix ad hanc Danubii ripam ſtativa habuerit.

LEgionem II. *Adjutricem* plurium annorum intervallo ad hanc Danubii ripam, ubi nunc Buda vetus eſt, *ſtativa* A) habuiſſe, inſcri-

A) E *ſtativis* (videlicet caſtris) paullatim, ut recte advertit Cl. Bergier *de viis milit. Sect.* 36. §. 8. factæ ſunt urbes, oppida, caſtella, & alia loca munita, quæ plerumque Legionum ibidem excubantium nomina obtinuerunt. Porro ſtativorum duo erant genera; *hyberna* ſcilicet ac *æſtiva*. Hyberna maxime erant ſecundum fluvios, qui limitabant imperium; ad quorum ripas legiones præſidio erant, ut vicinis barbaris, ſi qui Romanas terras infeſtare vellent, reſiſterent. *Pannonica* quidem *Hyberna* limitem Iſtri adverſus objectas Germanorum gentes, Marcomannos, Quados, Suevos, Na-

ſcriptionum hactenus recenſitarum fide certum eſt. Ex iis enim, quas ſecundæ hujus Partis *C. V. num.* 3. & *C. VI. num* 1. *itemque* 3. retulimus, patet hanc Legionem ſub Hadriano, Aurelio, Antonino Pio; ex *C. VI. num.* 2. & *C. II.* §. *I.* itemque ex *C. V.* ſub Septimio Severo Alexandro; ex *C. VI. num.* 5. ſub Gordiano III. ex numo argenteo Philippi Junioris una cum Laterculis ejus Legionis nomine inſcriptis reperto, etiam ſub Philippis hic præſidium agitaſſe.

Codex vero *Notitiarum Imperii Rom.* ſub ipſis adeo Honorio & Arcadio Augg. eandem Legionem II. *Adjutricem* in Pannonia inferiori recenſet, ejusdemque militibus in municipiis Acinci ſeu Aquinci, Carpi, & Caſtelli contra Tautantum ſtativa adſignat.

Quonam autem primum tempore Legio hæc II. *Adjutrix* plagam iſtam inſederit, ex no-

Nariſcos, itemque Iazyges, Sarmatas & alios id genus barbaros cohibantur. Hoc præſidium eo magis Romanis erat neceſſarium, quo ſæpius Danubius hyberno gelu conſtrictus barbaris facilem in Romanas terras tranſitum dabat. Hoc pacto Iazyges teſtatur Caſſius Dio Danubium transgreſſos ingentem Antonino Pio terrorem incuſſiſſe. Porro tam *hyberna* quam *æſtiva* caſtra partim erant ſine tectis, partim vero cum tectis, atque adeo in ipſis municipiis aut coloniis poſita.

noſtris quidem inſcriptionibus colligi nequit; verum conjectura haud improbabili dici poteſt, id factum eſſe Veſpaſiano imperante. Nam, quod Erud. Lazius *a*) Legiones Adjutrices primam & ſecundam non prius quam ſub Ulpio Trajano in Pannoniam traductas eſſe exiſtimat, rationes quas adducit, nullum ejus opinioni pondus addere videntur. Prima enim ejus ratio eſt, quod harum duarum Legionum Adjutricum in Pannonia inferiori poſitarum meminerunt Dio, Ptolemæus, & Antonini itinerarium, *auctores*, inquit, *qui poſt Trajanum ſcripſere.* Quod poſtremum veriſſimum eſt utique, ſed non inde ſequitur, Legiones quoque primam, vel ſecundam Adjutrices non niſi poſt Trajanum, vel ſub Trajano in Pannonia locatas fuiſſe: immo Caſſius Dio, vir Conſularis, diſerte ſcribit, Legionem ſecundam *Adjutricem* jam a Veſpaſiano *in Pannonia inferiori* poſitam eſſe. Alteram vero hanc Lazius adducit rationem; quia ex duobus, ait, epitaphiis Tarraconæ in Hiſpania inventis clarum ſibi eſſe videtur, binas has Legiones Adjutrices in Hiſpaniis militaſſe, priusquam ab Ulpio Trajano in Illyricum occidentale, indeque poſt rem ad-

a) Comment. Reip. Rom. Lib. I. C. X. pag. 72.

adverſus Dacos ſtrenue geſtam, in Pannoniam inferiorem traductæ fuiſſent. Epitaphia autem, quæ refert, ſic habent:

M. AVR. M.F. FAB. LVCILIO. POETO. VIOR. EX. SINGVLARIBVS IMP. LEG. I. ADIVT. LEG. TR. LEG. VII. GEMEL. HASTAR (*forte* HASTAT) PR. ANNOR. LX. STIPENDIOR. XXXX. IVLIA IVVENTINA. ET. HERES. MARITO. PIENTISSIMO. ET INDVLGENTISSIMO FACIVNDVM CVRAVIT.

Et alterum: C. IVLIO. REBVRRO MIL. LEG. VII. G. F. D. SECISA MABRASACA AN. LEG. II. AD. XXIII (*hæ notæ vitio Typothetarum male tranſpoſitæ videntur* AN *ante* LEG. *ponendo*, *cui locus poſt* AD) LICINIVS RVFVS. MIL. LEG. EIVSDEM.

At enim non video imprimis, quinam colligere poſſit Lazius, hæc epitaphia Trajani ætatem aut præcedere aut ſubſequi. Deinde ex uno alterove epitaphio haud recte, mea quidem ſententia, deduci poteſt, hanc vel illam Legionem eo loco ſtativa habuiſſe, in quo hujus aut illius Legionis miles tumulatus legitur. Quis enim ignorat, perſæpe accidere, ut milites, ac potiſſimum in majore honoris gradu poſiti pro-

 cul

cul a Legione ſua ob Legationes, aliaſve cauſas digreſſi morte ſubin opprimantur. Accedit, quod in epitaphio emeritis quoque militibus, quique Legionem multis jam annis ſecuti non fuere, addi conſveverit honoris ac meritorum cauſſa, in qua olim Legione, quot ve annorum ſtipendia fecerint. Ita ceteras inter inſcriptiones nos quoque ſupra enumeravimus nonnulla epitaphia, in quibus defunctorum militum Legionis IIII Flavianæ, Legionis X. Gemellæ nomina occurrunt, quin tamen inferre audeamus, Legioni quartæ, vel decimæ ſtativa eodem hoc loco fuiſſe. Et in monumentis Brixianis refert Octavius Rubeus inventam *ad S. Fauſtini* inſcriptionem, in qua Tribuni Legionis II. Adjutricis fit mentio, quæ hujusmodi eſt:

P. CLODIO P. F. FAB. SVRÆ. Q. FLAMINI. DIVI. TRAIANI. PONTIF. IIVIR. QVINQ. TRIB. LEG. II. ADIVTRIC. PIÆ. FID. CVRAT. REIP. BERGOM. DAT. AB. IMP. TRAIANO. CVRAT. REIP. COMENS. DAT. AB IMP. HADRIAN. COLLEGIA FABR. ET CENT.

Quis tamen hinc inferat, Legionem II. *Adjutricem* ſub Trajano & Hadriano in agro Bri-

xienſi

Digitized by Google

xienſi ſtativa habuiſſe? Quæ cum ita ſint, non obſtantibus Lazii rationibus, ac epitaphiis, adhuc admodum veriſimile eſt, Legionem II. *Adjutricem* a Veſpaſiano in Pannonia inferiori, teſte Dione, inſtitutam, ad hanc Danubii ripam, atque in hoc ſolo Budæ veteris itidem jam ſub Veſpaſiano locatam fuiſſe. Quamquam neque Cl. Panciroli ſententia rejicienda eſt, qui jam ſub Auguſto Legionem II. *Adjutricem Piam Fidelem* extitiſſe ſcribit *a*), eamque inter XXV. Legiones a Cæſare Auguſto Romanum per orbem diſtributas in Dalmatia una cum Legione VII. Gemina Pia Fideli locat. Conciliari enim cum Dione poteſt, ſi dicatur hujus nominis Legionem poſt Auguſti fata aliquo tempore ſublatam fuiſſe, dein vero a Veſpaſiano in Pannonia inferiori reſuſcitatam. Ipſe enim Dio ſcribit, Auguſti ætate Legiones XXIII. vel ut alii ante ipſum ſcripſerunt, XXV. τα πολιτικὰ id eſt *urbanas* ſeu civium Romanorum numeratas eſſe, ad ſuam vero ætatem ex iisdem non plures quam XIX perſtitiſſe. A)

a) Not. Dignit. Imperii Orient.

A) Legionum Romanarum variis temporibus varius fuit numerus. Libera Republica cum Volſci, Æqui & Sabini omnes in armis

CAPUT IX.

De titulis & cognominibus Legionis II. Adjutricis.

LEgionum Romanarum cognomina fere ſex generum ſunt. 1) A numero: ut *Prima*, *Secunda*, *Tertia* &c. 2) a proprietate aliqua, aut virtute, ut *Rapax*, *Fulminatrix*, *Adjutrix*, *Ferrata*, vel *Fretenſis*, *Felix*, Pia, Fidelis &c. 3) a ſignis, quæ præferebant, ut *Martia*, *Minervia*. Quamquam *Martias duas* ob audaciam po-

armia eſſent, ſcribit Livius *Dec. I. L. II.* Legiones X effectas, quarum ternæ Conſulibua ſingulia datæ, quatuot Dictatori. Idem Livius Lib. IX. ubi confert Alexandri M. potentiam cum Romanorum viribus, ait tunc in civitate per luſtra cenſeri ſolita ducenta quinquaginta millia capitum, atque urbano delectu X legionea ſcribi ſolitas, id eſt, quaternos, quinoſue exercitus; nam duæ Legiones unum conficiebant exercitum. Idem Lib. XXIV. Punico bello II. ait: *Bellum geri placuit legionibus duodeviginti, binas Coſſ. dari, binis Galliam, Siciliam ac Sardinjam tueri* &c. At Lib. V. tradit *viginti tribus legionibus bellum geſtum.* Lib. VI. belli Punici ſub initium: *bellum geſtum Legionibus XXXIII.* Triumviratus tempure in ſolis Antonii nummis leguntur XXXII. Legiones. Sub Auguſtis interdum Legionum numerus ſupra XL. crevit. Romæ in area Capitolii in marmorea columna poſt Diocletianum leguntur XXXVII. Legionum nomina. Ceterum in Legionibus quoque Romanis non idem ſemper fuit militum numerua. Quandoque Legio una haud pluribus quam quaternia millibua peditum, ac trecentenis equitibus conſtabat, alias quinque, vel ſex millibus peditum, equitibus quad.ingentia & amplius.

potius adpellatas fuiſſe ſcribit Appianus L. IV. *de bello civili* &c. 4) a miſtione, ut: *Gemina*, vel *Gemella.* 5) ab Imperatoribus ut: *Veſpaſiana*, *Antoniniana* &c. 6) a regionibus, in quibus aut Legionis delectus fuit, aut ejusdem longior commoratio, ut *Germanica*, *Britannica* &c. Præterea Antonini Itinerarium tres legiones *Alaudarum* nomine recenſet, nempe *quintam*, *nonam*, & *decimam*. *Alaudarum* autem nomen ſive *Galeritarum* A) idcirco exiſtimat Pancirolus iis Legionibus attributum eſſe, quod earum milites Galeam haberent erectam inſtar criſtæ illius avis. Ante Julium autem Cæſarem B) vix legere eſt Legiones Romanas alio quam *numeri* cognomine diſcretas. Poſt hanc inter viginti tres Legiones in numis Conſularibus Antonii Triumviri adſcriptas Legioni XII.

 ad-

A) Plinius Lib. XI. C. 37. *Galerita*, inquit, *appellata quondam, poſtea Gallico vocabulo etiam Legioni nomen dederat Alaudæ.*

B) Tranquillus Suetonius *in Julio Cæſare* cap. 24. *Addidit*, ait, *unam ex Tranſalpinis conſcriptam, vocabulo quoque Gallico (Alauda enim appellabatur) quam diſciplina cultuque Romano inſtitutam & ornatam, poſtea univerſam Civitate donavit.*

Cicero ad Atticum Lib. 16. epiſt. 8. *Antonius cum Legione Alaudarum ad urbem pergit.*


additur cognomentum *Antiquæ*. Leg. XVII. *Claſſicæ* Leg. XVIII. *Lybicæ*.


Jam quod adLegionem,de qua nobis eſt ſermo, attinet ex inſcriptionibus ſupra memoratis colligimus eam præter cognomenta *ſecundæ* & *Adjutricis*, inſuper titulos *Piæ Fidelis*, ſubin *Severinæ* ſub Severo Alexandro; itemque *Gordianæ* ſub Gordiano III. geſſiſſe. Addunt nonnulli etiam *Sicambricam* dictam, quaſi ſcilicet ea, quod *Adjutrix* æque ac Prima adpellaretur, e Sicambris auxiliaribus coaluiſſet, atque a Legione Sicambrorum, quam Bonfinius & Lazius paſſimque alii in quodam Lapide inſcriptam perhibent, indiſtincta fuiſſet. Verum de lapidis illius auctoritate deinceps videbimus. Nunc diſpiciendum eſt, an hæc Legio *Secunda Adjutrix*, vel ut Bonfinius mavult, *Prima*, reapſe *e Sicambris* conflata, aut unquam *Sicambrorum* Legio adpellata fuerit. A)

Pri-

A) Lazius Comment. *Reip. Rom. L. XII. C.* 6. inter cetera, quibus probare nititur *Sicambros* Pannoniam inhabitaſſe, refert Bonfinii teſtimonium. *Bonfinius*, inquit, *Legionem primam auxiliatricem e Sicambris auxiliaribus conflatam fuiſſe teſtatur.* Ipſius autem Bonfinii verba ſic habent *Rer. Ungar. Dec. I. L. I. pag.* 24. Legionem, *quæ auxiliatrix fuit, ſupra Budam veterem fuiſſe reputamus: quod vetuſtiſſimum teſtatur epigramma ibi effoſſum, & cujusdam Scholæ Speculatorum Legionum Adjutricum dicationem oſtendit: in citeriore namque Danubii ripa, nul-*

CIRCULAIRE







Naples le 1836

M

Le prospectus d'un ouvrage que je viens d'écrire et dont j'ai l'honneur de vous communiquer un exemplaire vous instruira de son contenu.

Après une maladie de quatre ans et très grave, ayant enfin par la grâce divine recouvré la santé et me trouvant sans occupation analogue à ma carrière, je me suis d'abord occupé de développer et d'indiquer dans cet ouvrage les moyens de pouvoir de nouveau me rendre utile à la Société et d'ouvrir à cet effet une souscription.

S. M. la Reine mère, auguste protectrice de tout ce qui tend à l'avantage de l'humanité, fut la première à accueillir avec la bonté qui la caractérise ce prospectus que j'eus l'honneur de lui présenter moi même et a daigné en accepter la dédicace.

Non seulement son Auguste nom figure en tête de mes souscripteurs mais encore ceux de LL. AA. RR. le Prince de Salerne, le Comte de Syracuse, le Comte de Lecce et autres personnages des plus distingués, soit par leurs rangs, naissance, talens ou fortune.

Tous les hommes portés à la propagation de l'industrie trouveront dans cet ouvrage des choses capables de fixer leur attention en les méditant.

Ce prospectus qui sera répandu en Europe fera peut-être naître chez quelques uns de ses riches habitans l'envie d'unir leurs lumières aux miennes et de porter une partie de leurs capitaux, ainsi que leur industrie dans une contrée qui a beaucoup de rapports avec celle de l'Amérique septentrionale et l'Afrique, où l'émigration de l'Europe s'est multipliée depuis plusieurs années.

Je vous serais donc reconnaissant, M   en cas que vous voulussiez me faire l'honneur de joindre votre respectable signature à celles de mes souscripteurs dont le nombre s'élève à plusieurs centaines en à Naples, de contribuer ainsi par votre philantropie à l'espoir que j'ai de rendre d'importans services à mes semblables et partager ainsi avec eux par votre appui la douce satisfaction d'avoir participé à une œuvre aussi méritoire qu'utile.

J'ai l'honneur d'être M   avec considération

Votre dévoué Serviteur M. A. Buchez

M. A. Buchez

P.S. À la fin de l'ouvrage seront insérés les noms des souscripteurs de toutes les contrées.

Dans chaque capitale il y aura un agent qui correspondra directement avec moi.

Pour ne pas multiplier les ports de lettres, on enverra la quantité d'exemplaires pour lesquels on aura souscrit, lorsque l'ouvrage sera totalement achevé.

Le dit



Lithographie de Nobile Pétel, rue de la Fontaine Medina

NAPOLI

Primis temporibus ac florente Imperio Legionem *Adjutricem* ſeu Primam, ſeu hanc ſecundam, de qua potiſſimum agimus, nec e *Sicambris* compoſitam, nec *Sicambrorum*, vel *Sicambricam* Legionem dictam fuiſſe, certum eſt ex veteribus ſcriptoribus ac monumentis. Nam imprimis conſtat inter eruditos, omnes eas Legiones, quæ numeris diſcernebantur, non e barbaris, ſed e civibus Romanis componi tunc ſolitas fuiſſe. Secundo: quia Primam & ſecundam *Adjutrices* Caſſius Dio vir Conſularis diſerte inter Legiones Civium Romanorum enumerat, nec uſpiam ab Auguſto ad Severi usque Alexandri ætatem *Sicambricæ* vel *Sicambrorum* Legionis in proprio Romanorum Exercitu meminit. En catalogum Legionum ab eo recenſitarum:

„ Alebantur, ait ille *a*) eo tempore (ſcilicet
„ Auguſti) Legiones civium Romanorum XXIII.
„ aut quem alii numerum ponunt, XXV. No-
„ ſtro tempore (*Scripſit hæc Dio ſub Severo A-*
„ *lexan-*

a) *Dio Hiſt.Rom. pag.* 186. *edit.Hamb.*

---

nulla alia veterum civitatum veſtigia his potiora comperimus: Ex quo fit, ut Sicambriam Legionem primam auxiliatricem, hanc a Sicambris Germaniæ populis adpellatam, quæ ad Budam veterem humi plane jacentem conſpicamur, exiſtimare debeamus.

„ *lexandro*) ſolæ XIX. ex iis reſtant, nempe:
„ Legio II. Auguſta, cujus in ſuperiore Britannia ſunt hybetna.
„ Tres *Tertiæ*: una in Phœnicia, Gallica nomine: altera, in Arabia, Cyrenaica dicta: tertia Auguſta in Numidia.
„ *Quarta* Scythica, in Syria.
„ *Quinta* Macedonica, in Dacia.
„ *Sextæ* duæ, una in inferiori Britannia, Victrix; altera in Judæa, Ferrata (alias Fretenſis)
„ *Septima* in Myſia ſuperiore, Claudiana præcipue nuncupata.
„ *Octava* Auguſta in Germania ſuperiore.
„ *Decima* utraque Gemina, tum quæ in Pannonia ſuperiore, tum quæ in Judæa poſita eſt.
„ *Undecima* in Myſia inferiore, Claudiana cognomento. Hæ duæ a Claudio ſunt nominatæ, quod adverſus eum in ſeditione Camilli non rebellaſſent.
„ *Duodecima*, in Cappadocia Κεραυνοφόρον Fulminifera. A)

De-

A) Xiphilinus aliter Κεραυνοβόλον adpellat cum Apollinari apud *Euſebium Hiſt. Eccl. L. V. c.* 5. reprehenditque Dionem, quod Legionis hujus mentionem in rebus Auguſti faciat, cum hoc nomen non prius quam ſub Antonino acceperit. At enim Legionis XII.

„ *Decima tertia* Gemina in Dacia.
„ *Decima quarta* Gemina in Pannonia ſuperio-
„ re.
„ *Decima quinta* Apollinaris in Cappadocia.
„ *Viceſima* Valeria & Victrix in Britannia ſu-
„ periore verſantes; Hæc viceſima eadem vi-
„ detur cum ea legione, cui pariter nomen
„ eſt viceſimæ & cui hyberna ſunt in Germa-
„ nia - - -

Hæ itaque Legiones Auguſti ſuperſunt, ſubjungit Dio a) *reliquis aut omnino diſſipatis, aut ab ipſo Auguſto & aliis Imperatoribus inter ceteras Legiones admixtis, unde Geminarum adpellatio tracta putatur.*

a) *ibid.* pag. 784.

Rurſus idem: b) „ Quoniam ſemel de Le-
„ gionibus dicere cœpi, lubet reliquas etiam
„ ſuperſtites ab aliis Imperatoribus deinceps
„ lectas, referre.

b) *ibid* pag. 796. & *ſeqq.*

XII. *Fulminatricis* mentio ante Antoninum jam occurrit in antiqua inſcriptione Tergeſtina ſub Trajano facta, ut refert Scaliger *pag.* 223. *ad Euſeb. Chronic.* & Gruterus *inſcrip. CXCIII.* 3. Eadem Legio, ut notat Fabricius, quoniam in Cappadocia ſolebat caſtra metari, dicta quoque fuit *Melitena* a Melitene Cappadociæ regione, uti patet ex *Notit. Dignit. utriusque Imperii* ſob diſpoſitione Viri Spectabilis Ducis Armeniæ, his verbis: *Præfectura Legionis duodecimæ fulmineæ Melitenæ.* Honoris cauſa ita dictam putat Reineſius, ob ſtrenuam videlicet virtutem, qua velut quoddam belli fulmen erat. At Chriſtophorus Ropertus, a fulminibus ſcutorum inſignibus nuncupatam opinatur.

„ NERO Legionem *Primam Italicam* nun-
„ cupatam inſtituit, in Myſia inferiori hye-
„ mantem.

„ GALBA *Primam Adjutricem* in inferiori
„ Pannonia. *Septimam* in Hiſpania.

„ VESPASIANVS *ſecundam Adjutricem* in
„ Pannonia inferiori; *Quartam* in Syria *Fla-*
„ *viam.*

„ DOMITIANVS *Primam Minerviam* in
„ Germania inferiori.

„ TRAIANVS *ſecundam Ægyptiam*; & tri-
„ geſimam Germanicam, quibus a ſuo nomine
„ cognomen impoſuit.

„ MARCVS ANTONINVS *Secundam* in
„ Norico: *Tertiam* in Rhætia; quæ etiam Ita-
„ licæ vocantur.

„ SEVERVS *Parthicas Primam & Tertiam*
„ in Meſopotamia, *Secundamque* in Media. „
Vides igitur hic *Primam* & *Secundam Adjutri-ces* (eas prorſus Legiones quæ in Pannonia inferiori excubabant) inter illas recenſeri, quæ e Civibus Romanis, non vero ex barbarorum copiis auxiliaribus conflatæ fuerunt. Vides multas hic Legiones variis diſtingui nominibus, ut *Auguſtam*, *Gallicam*, *Cyrenaicam*, *ſcythi-*

Scythicam &c. At nullam *Sicambricam*, vel *Sicambrorum*.

Sed neque poſt fata Dionis, vel poſt Severum Alexandrum ullum produci poteſt monumentum, in qua non dico Legioni *primæ* vel *ſecundæ*, ſed cuicunque alteri, numero quopiam ſignatæ, id nominis attribueretur; non in Lapidibus, non in Codice Præfecturarum, non in Notitia Dignitatum Imperii utriusque, non denique in ullo coævo auctore.

Auxilia quidem Sicambrorum quibusdam temporibus Romano exercitui præſto fuiſſe, negari nequit. Nam & Cornelius Tacitus *a*) ſcribit de cohorte quapiam *Sicambra*, quæ Romanis magnum adverſus Rhœmetalcen Thraciæ Regem ad victoriam momentum attulit: & Claudianus de nonnullis Sicambrorum cohortibus, quæ Romanis merebant ſignis, canit: verum neuter e Sicambrorum cohortibus Legionem aliquam numero certo diſtinctam, ac Romanas inter connumeratam adfirmat, imo ut exteras, barbaras, ſocias tantum & auxiliares, a civium Romanorum Legionibus prorſus diverſas deſcribunt. Sic Tacitus cohortem illam Sicambrorum *cantu & armorum* tu-

a) *Annal. L. IV.*

tumultu trucem depingit : ſic & Claudianus eandem ut barbaram notat:

- - *Quæcunque*, inquit, *meo gens barbara nutu*
Stringitur, adveniat: Germania tota feratur
Navibus, & ſocia comitentur claſſe Sicambri a)

a) 1. bel. Gild.

Et alibi : *b)* *Arduus & flavis ſignabat jura Suevis*
His tribuit leges, his obſide fœdera ſancit
Indicto ; bellorum alias tranſcribit in uſus,
Militet ut noſtris detonſa Sicambria ſignis.

b) In Eutrop. L. 2.

Denique multa ſunt alia, quæ oſtendunt manifeſto, Legionem hanc, quæ in ſupra recenſitis inſcriptionibus *Prima* vel *ſecunda Adjutrix* dicitur, nunquam vel *e Sicambris* conſcriptam, aut *Sicambrorum* vocatam fuiſſe. A) Quippe imprimis Le-

A) Qui Legionem *Sicambram*, & *Sicambrorum* rem unam eandemque ſonare putant, vehementer falluntur. Inter duas enim idgenus adpellationes ingens ſemper diſcrimen ponebant Romani, ita ut alia illis fuerit Legio Pannonica, alia Pannoniorum, alia Germanica, alia Germanorum; itemque alia Rhætica, alia Rhætorum vel Rhætiorum; ac proinde alia quoque *Sicambra* ſeu *Sicambrica*, alia *Sicam-*

Legio iſta honorata eſt nominibus, quæ ſolis civium Romanorum Legionibus propria erant, ut: *Piæ*, *Fidelis;* itemque *Severinæ*, *Gordianæ*, ut ſupra meminimus. Deinde, quia ſecunda Legio Adjutrix ſcripta eſt in Pannonia inferiori, in qua nullæ tunc erant *Sicambrorum* ſedes, qua de re ſequenti capite paullo prolixius. *Sicambri* enim, (qui nunc opinione eruditi Althameri *a*) *Geldrenſes*) accoluerunt *Vabalim* ad oſtium Rheni in *Batavia*. Hinc Sidonius: *Detonſus Vabalim bibat Sicamber*. Similiter Plinius *b*) *Sicambros* Rheni accolas Iſtævonum partem fuiſſe perhibet. Sed neque hæc Legio aliam ob rationem quampiam dici potuit *Sicambra*, quaſi ſcilicet vel Sicambros deviciſſet, vel ad Rhenum adverſus Sicambros ſtativa habuiſſet; hæc enim nulla firmari

a) in Comment. Germ. pag 29.

b) H. N. L. IV. c. 14.

Sicambrorum. Illo ſcilicet epitheto diſcernebant Legiones e civibus vel civitate donatis conflatas, quæ in Pannonia, vel Germania; vel Rhætia ſtativa habebant; hoc autem Legiones non e civibus lectas, verum ex nationibus exteris, ut Pannoniis, Germanis, Rhætis ſtipendio conductas intellexere, quas quidem ſubin (Imperio videlicet in occaſum vergente) etiam *Germanicianam*, *Pannonicianam* teſte Marcellino L. 29. vocabant, non tamen Germanicam, Pannonicam. Itaque uti alia fuit Legio Germanica. Pannonica, alia Germanorum, Pannoniorum, ita prorſus aliam fuiſſe oporteret Legionem *ſicambricam*, aliam *ſicambrorum*, ſi forte utriusque hujus adpellationis Legiones in ſcriptis veterum, aut monumentis reperirentur.

poſſunt auctoritate, immo adverſantur temporum, locorumque, in quibus hanc Legionem fuiſſe conſtat, rationibus.

CAPUT X.

De nomine Municipii, in quo Legionis II. Adjutricis tam diuturna ſtativa erant.

REfert Bonfinius a) ætate ſua, cum ædium Beatricis Reginæ in Solo Budæ veteris fundamenta jacerentur erutum fuiſſe lapidem cum hac epigraphe:

LEGIO. SICAMBRORVM. HIC. PRÆSIDIO. COLLOCATA. CIVITATEM. ÆDIFICAVERVNT. QVAM. DE. SVO. NOMINE. SICAMBRIAM. VOCAVERVNT.

Repetunt eandem ex Bonfinio inſcriptionem Lazius, Inchoferus, Belius, Auctor Topographiæ Magnæ Hungariæ; plurimique alii. Atque hoc illud eſt in tot libris pervulgatum monumentum, quo plerique, qui *Sicambriam* in Budæ veteris oppido locant, unice nituntur. Nam quæ vel M. Joannes de Thurocz in Chronico Hung. vel Urſpergenſis Abbas ex veteri qua-

a) Rer. Hung. Dec. I. L. I. pag. 24.

quadam (forte *Hunnibaldorum* de Francorum origine) Hiſtoria narrant, hæc ſomnia eſſe, qualia in vetuſtiſſimarum originum inveſtigatione perſæpe obrepunt, ſagacior quisque haud difficulter pervidet.

Sed juvat amborum tamen narratiunculas (ne quid perperam, aut temere dixiſſe videamur) compendio prius retexere; ac tum demum, quid de illa tam celebri *Sicambrorum* Legionis inſcriptione arbitrandum ſit, curatius diſpicere. Hæc igitur *Chronici Hung.* ſcriptor: *a*) *Tradunt*, inquit, *Franconem* A) *poſt Trojanæ Urbis excidium in Pannoniam, quæ olim Magni Alexandri ævo ſuperiore Græcia vocabatur, magno cum populo veniſſe, & ſub monte Sycan ſecus fluvium Iſtrum, qui & Danubius dicitur, civitatem ampliſſimam ædificaſſe, & illi nomen a monte Sycan prædicto, Sycambriam impoſuiſſe, & tandem orientalium metu nationum abinde ad partes occidentales declinaſſe, & regionem circa fluvium Sycana* (nunc Sequana) *occupaſſe, illamque a præfato Francone duce eorum Fran-*

a) Chron. Ung. C. I. ſub init.

A) Præmiſit Franconem Paridis filium, at Priami Trojanorum Regis ultimi nepotem fuiſſe.

Franciam appellaſſe, & regione in eadem civitatem condidiſſe, & illam in memoriam Paterni nominis Paris denominaſſe. Vides hic Budam veterem *Sicambriæ* nomine, paucis poſt excidium Trojanum annis, a Francone (ſi ſuperis placet) ædificatam. Verum quid facias inſcriptioni Lapidis Bonfiniani, quæ hic Sicambriam non a Francone ſed a Sicambrorum Legione vel Romana ſcilicet, vel Romano jam ſermone utente (ædificatam perhibet.

Paullo aliter Urſpergenſis: *Francorum*, ait, *exordia de antiqua Trojanorum prodiere proſapia. Nam eo tempore, quo poſt excidium Trojæ Æneas in Italiam venit, quidam ex iisdem Trojanis ſimili modo profugi circa Mœotidas paludes appulerunt; ibique confidentes terminos ſuos usque in Pannoniam dilataverunt. Conſtruxerunt autem civitatem Sicambriam, ibique per multos habitantes annos in populum multum creverunt, & Sicambri primum dicti ſunt. Hi pro eo quod Alanos, ut dictum eſt, a Mœotide palude expulerunt, Franci a Valentiniano vocati ſunt, & pro hac victoria per decennium remiſſione tributorum donati. Decennio vero peracto, miſit Valentinianus ad eos quemdam ducem pro agendis tributis, ſed illi, ut erant feroces, tributis ulterius ſub-*

ſubjacere dedignati ſunt, miſſosque ad ſe interfecerunt. Fuerunt autem tunc principes inter eos, antiquorum vocabulorum præferentes inſignia Priamus & Antenor. Audiens itaque Imperator eorum factionem, nimis iratus juſſit omnem Romanorum exercitum cum pluribus exteris gentibus pugnare contra eos. Pugna commiſſa cum ex utraque parte multi caderent, tandem Franci multitudinem tantam ſuſtinere non valentes fugerunt: ibique mortuus eſt Priamus Rex eorum. Egreſſi autem de Sicambria, venerunt in terram Germaniæ ad gentem ſcilicet Romanis infeſtiſſimam; habitaveruntque aliquanto tempore in Thuringia cum Marcomede filio Priami & Sunone filio Antenoris.

En duplicem Sicambriæ originem, quarum utraque nihil inanius. Sed nempe id plerumque Hunnibaldis, & ſimilibus ſcriptoribus uſitatiſſimum erat, ut, quoties de origine rei cujuspiam parum conſtaret, illico ad fabulas confugerent; *fortaſſis*, ait Beatus Rhenanus *a*) *in hoc Romanos & alias nationes imitati. Atque hinc eſt* (proſequitur hic acerrimi Judicii Scriptor) *quod Francos nobis ex Troja deducunt, & de ſæpe mutatis horum ſedibus atque*

a) Rerum Germ. Lib. I. p. 27.

extructa tandem Sicambria meras ineptias comminiſcuntur. Nec mirum ſi rudibus illis ſeculis olim auſi ſunt talia confingere haud dubie monachi, nam præter hos tum nemo norat literas.

Ceterum hinc manifeſtum fit, jam ante vulgatam Lapidis illius Bonfiniani epigraphen, non paucos fuiſſe, qui Chronicorum id genus auctoritate inducti, Budam veterem reapſe in *Sicambriæ* ruinis poſitam eſſe, ſibi perſvaſerunt. Arridebat nimirum ea ſententia, quæ urbi tunc florentiſſimæ tam antiquam, tamque nobilem attribueret originem per Sicambros Francorum, Germanorumve progenitores. Sed cum forte eadem ætate non deeſſent emunctæ naris viri, qui novam hanc opinationem, ut fabuloſam exploderent, quod ex illis Bonfinii verbis liquet: *ineptos & ſomniculoſos annalium ſcriptores non ſectamur.* Mirum! effoditur lapis eo prorſus tempore, qui optatum Sicambriæ nomen aptiore ad perſuadendum documento Budæ veteri adferat. In hoc enim Sicambria non a *Francone* condita, & a monte *Sycan* ita adpellata dicitur, ſed a Legione Sicambrorum, quam Bonfinius ejusque ſectatores unam ex iis fuiſſe contendunt, quæ in ceteris in-

inſcriptionibus hic repertis *Adjutrices* vocantur, quæque e *Sicambris* remotiſſimis Germaniæ populis conflatæ fuerint. At enim jam *præcedenti capite* demonſtratum eſt Legiones illas *Adjutrices* primam ſcilicet ac ſecundam nec e *Sicambris* coaluiſſe, nec *Sicambrorum* dici potuiſſe. Quænam igitur, inquies, alia Legio Sicambrorum fuiſſe putanda eſt, quæ hanc in provincia Romana civitatem erexerit? Inquirat iſtud, cui adlubet: mihi, ut nullam hoc loco Sicambriam, ita nullam quoque in Pannonia inferiore Legionem Sicambrorum fuiſſe certum prope ac indubitatum eſt. At monumentum? & inſcriptio tam luculenta?

Equidem monumentis atque inſcriptionibus vetuſtis, tamquam coævis, publicis, atque adeo teſtibus omni exceptione majoribus fidem, ut in rebus humanis, habendam eſſe maximam non diffiteor, immo ultro lubensque admitto. Verum de monumento, quod in rei cujuspiam non modo incertæ, ſed ne veriſimilis quidem confirmationem adducitur, illud antea certum ac exploratum ſit oportet: illius eſſe reapſe, quam præfert, ætatis; tum nihil in illo inſincerum; nihil corruptum aut de-

Digitized by Google

pravatum. Quis enim ignorat, quanta ſit inter homines fingendi libido? ecquodnam illud eſt genus monumentorum, in quo impoſtores nihil usque attentarint? Libri vitiati, Auctorum ſuppoſita nomina; MSS recentiora pro vetuſtis obtruſa; Numiſmata, quin ipſa quoque Principum diplomata (non obſtante adverſum impoſtores Legum rigore) conficta, refecta, corrupta, adulterata. An in ſolas Lapidum inſcriptiones hæc peſtis nihil potuiſſe cenſenda eſt? Atqui non paucæ jam inſcriptiones, diu pro veris atque authenticis habitæ, poſtquam ad lancem ſanioris criticæ expenſæ fuerunt, tandem ut ſpuriæ, ut ſuppoſitæ, aut ſaltem ut mendoſe lectæ, ut ab autographo diſcrepantes inventæ ac rejectæ ſunt.

Atque ex harum omnino genere, ſi ullam aliam, hanc certe Legionis Sicambrorum inſcriptionem eſſe ut adfirmem, non una inducor ratione.

Nam 1) Quid in tota hac inſcriptione, veluti eam Bonfinius omnium primus vulgavit: LEGIO SICAMBRORVM HIC PRÆSIDIO COLLOCATA CIVITATEM ÆDIFICAVERVNT, QVAM DE SVO NOMINE SICAMBRI

BRIAM VOCAVERVNT. vel quemadmodum apud alios legitur: LEGIO. SICAMBRORVM. HIC. PRESIDIO. COLLOCATA. CIVITATEM. CONDIDIT. QVAM. EX. SVO. NOMINE. SICAMBRIAM. DIXIT. Quid, inquam, iſthic eſt, quod antiquitatem ſeu florentis, ſeu in occaſum vergentis Romani Imperii redoleat? Certe non forma literarum technica; non ſiglæ; non vocum compendia; non ſtylus ipſe, nihil denique ejuscemodi, quale in aliis indubitatæ vetuſtatis epigrammatis obſervamus. A)

2) Omnes fere aliæ inſcriptiones veterum, quæ factum refectumve aliquid in communem publicumque uſum adnotant, Principis quoque, vel Conſulum, vel alterius cujuspiam Magiſtratus nomine ſignantur. Documento ſint illæ, quas ipſi recenſuimus; *de Silano* facto, *Muciano* & *Fabiano Coſſ.* De *ſchola Specula*-

A) Equidem adverti, nunquam a Bonfinio alias quoque vere antiquas inſcriptiones referri ea forma literarum, iisque cum notis, aut vocum compendiis, quibus eæ in lapidibus, aliisve autographis monumentis expreſſæ fuerunt. Verum id ipſum argumento mihi eſt, Bonfinium multa ſæpe ex ingenio ſuppleſſe, & quidem audacter non raro magis, quam feliciter; ac proinde nonnullas vetuſtas inſcriptiones eum corrupiſſe potius, quam deſcripſiſſe.

torum refecta *Modeſto* & *Probo Coſſ.* A) At in hac, quæ tamen rem tantam, quanta civitatis eſt ædificatio, ad poſterorum memoriam deprædicat, nulla vel Principis, vel Præfecti Legionis, vel Decurionum municipii occurrit mentio.

3) Quis credat *Sicambriam*, civitatem tantam, quanta ex ruderibus adparet, *a Sicambrorum* Legione fuiſſe conſtructam, & tamen tot ſeculorum intervallo hanc unicam reperiri potuiſſe inſcriptionem, nullamque præterea ad hæc usque tempora, in qua Sicambriæ, vel Sicambrorum nominis ſi non integro, deminu-

A) Huc addi meretur Lapidis non longe *Strigonio* in patenti campo juxta Danubium effoſſi epigraphe, quam idem Bonfinius Dec. I. L. I. p. 25. ſic deſcribit, vel potius explicat: IVDICIO. PRINCIPALI. DOMINORVM. NOSTRORVM. VALENTINIANI. VALENTIS. ET. GRATIANI. PRINCIPVM. MAXIMORVM. DISPOSITIONE. ETIAM. ILLVSTRIS VIRI VTRIVSQVE. MILITIÆ. MAGISTRI. EQVITIS. COMITIS. FOSCANVS. PRÆPOSITVS. LEGIONIS. PRIMÆ. MARTIORVM. VNA. CVM. MILITIBVS. SIBI. CREDITIS. HVNC. BVRGVM. CVI. NOMEN. COMMERCIVM. QVA. CAVSSA. ET. FACTVS. EST. A. FVNDAMENTIS. ET. CONSTRVXIT. ET. AD SVMMAM. MANVM. OPERIS IN. DIEBVS. XLVIII. CONSVLATVS. DIVI. NOSTRI. GRATIANI. AVGVSTI. BIS. ET. PROBI. VIRI. CLARISSIMI. FECIT. PERVENIRE. *Burgus* vel *Burgum* crebra habitacula conſtituta ſignificat teſte Oroſio l. 7. c. 22. Vegetio autem l. 4. c. 10. *Caſtellum*. aliis etiam *villam*, *ſuburbium*, Bonfinio hic *Monopolium in ſuburbio*. In hac inſcript. pro EQVITIS reſtituendum videtur EQVITI, id eſt *Equitii*, cujus apud Marcell. ſub his Impp. mentio.

nuto ſaltem vocabulo, aut primoribus chara-cteribus fieret mentio?

4) Quod ſi unicum hoc ac ſingulare monumentum Bonfinii ætate effoſſum eſt, cur nec Bonfinius, nec Scriptorum quisquam alius memoriæ prodidit quonam Lapis ille atque hæc tam inſignis inſcriptio inde translata, aut quonam in loco deinceps adſervata fuerit? næ enim Mathia Corvino regnante, id eſt, optimis quibusvis artibus in hac ſcientiarum arce lætiſſime tunc effloreſcentibus, Lapis hic omni pretioſior auro eſſe debebat, in tanto præſertim de *Sicambria* civitate omnium veterum ſcriptorum ſilentio. Siquidem hujus nominis urbem in Pannonia, nec in Strabonis nec in Ptolemæi reperies Geographia, nec in Antonini Itinerario, nec in Codice Præfecturarum, nec in Notitia Dignitatum utriusque Imperii. Quid amplius? ne quidem in Anonymi Belæ Regis Notarii de ſeptem Ducibus Hiſtoria, quamvis de antiqua Oppidi hujus conditione, variaque viciſſitudine toties recurrat mentio: ut adeo non obſcure colligi poſſit, nonniſi poſt vulgatum Thuroczii Chronicon, certe haud multo antea Budæ veteri nomen *Sicambriæ*

at-

attribui cœpiſſe: atque hoc reapſe indicare videntur hæc Bonfinii verba: a) *Supra Budam veterem in eadem Danubii ripa, vetuſtiſſimæ urbis veſtigia nunc cernuntur, magnumque murorum ambitum referunt, SICAMBRIAM nunc Juniores dicunt.*

a) Ibid. pag. 24.

Sed jam omiſſa ſuſpecti hujuſce Lapidis inſcriptione, & Bonfiniana de Legione Sicambrorum conjectatione; quidnam auctores alii de priſco Budæ veteris nomine ſentiant ac opinentur, diſcutiendum ſuſcipiamus.

CAPUT XI.

Expenduntur variæ opiniones de priſco Budæ veteris nomine.

BUdam quidem veterem, ejusque agrum in majoris cujuspiam ſeu coloniæ, ſeu municipii ruderibus ſitam eſſe, dubitari nequit. Romanæ enim habitationis veſtigia etiamnum extant ampla, ac late diffuſa. Inſcriptiones produnt, Legionis II. Adjutricis partem majorem, ac tempore longiori hic ſtativa habuiſſe, utpote cui adjunctum fuit amplum fabro-

brorum collegium, cohorsque Speculatorum cum parte aliqua Legionis Primæ itidem Adjutricis, nec non aliquo tempore Stipendiaria quædam cohors Breucorum: Nec minus Aquæductuum, Balnearum, Præſidiorumque ampliſſimæ, quæ hic viſuntur ruinæ, magnitudinem priſcæ civitatis oſtendunt. Ac de his quidem ita Marſiglius: a) *In ripa*, inquit, *citeriori non longe ſupra Budam recentem pagus eſt, Buda vetus vulgo nuncupatus, & duobus Romanis fortalitiis, quæ cum longo quodam aquæductu ibidem reperiuntur, celebris. Alterum idque minus & ſeptentrionale paludi adjacet, & eſt figuræ quadratæ, & ex glarea coctisque lapidibus terra obrutis extructum. Alterum majus ejusdem cum priore materiei eſt. Præterea autem in ejus circuitu varia murorum rudera reperiuntur, & ab illo latere, quod Danubium reſpicit, ad eundem usque foſſa prætenditur. Aquæductus vero a radice montium per paludem tranſiens non procul a prædicta foſſa terminatur, ſuntque meræ columnæ ex lateribus extructæ. A veritate forte non eſt abſonum dicere, quod illa duo fortalitia magnæ alicujus coloniæ præſidia fuerint.* Quæ poſtrema verba excipiens

a) Oper. Danub. T. II Tab. II.

 do-

doctiſſimus Belius: *hæc*, inquit, *indicant Marſiglium ignoraviſſe Sicambriæ eſſe rudus, quod ita deſcripſerat.*

At mihi Belius multo rectius illaturus fuiſſe videtur, ſi dixiſſet: „ Poſtrema hæc verba in„ dicant, Marſiglium *non crediſſe* Sicambriæ „ eſſe rudus, quod ita deſcripſerat. „ Ecquisnam enim ſibi perſuadeat Marſiglium tantæ lectionis & eruditionis Comitem, priusquam Pannoniæ Danubialis deſcriptionem adgreſſus fuiſſet, non conſuluiſſe Bonfinium aliosque rerum Hungaricarum ſcriptores, apud quos fere omnes decantatam illam Sicambrorum Legionis & Sicambriæ ab iis ædificatæ inſcriptionem invenias. Immo vero eo inclinat animus, ut ipſummet Belium de Sicambria hic loci poſita, in ambiguo ſemper manſiſſe, exiſtimem; adeo enim variat, adeo cum de ea loquitur, a ſeipſo diſſentit. Nam qui uno loco fatetur, *a*) nihil ſibi veriſimilius videri, ac Budam veterem in *Aquinci* ſeu *Acinci* ruderibus poſitam eſſe, is alibi *b*) Sicambriæ hæc eſſe rudera, tacente Marſiglio, adfirmat. Idem rurſus: *c*) & *Aquincum* & *Sicambriam* hic ſtetiſſe opinatur; ſed hanc non prius quam poſt deletum Aquin-

a) *Not. Hung. T. III. Sect. I. §. I. & II.*

b) *Ead. Sect. §. XII.*

c) *ibid. §. II.*

Aquincum, id eſt, poſt Valentiniani fata, cum ſcilicet gentes barbaræ adverſa amnis regione rerum potiebantur, inſultabantque Pannoniis. Poſtea vero eadem Sectione *a*) quaſi priorum jam oblitus, Sicambriam Valentiniani imperio longe vetuſtiorem adſerit, dum Legionem auxiliatricem, quæ ipſi cum Bonfinio & Lazio a Legione Sicambrorum indiſtincta videtur, jam ſub primis Auguſtis iſthic meruiſſe e monumentis colligit. *Notare*, inquit, *poſſis ubique* (id eſt, tota illa planitie, quæ a ſuburbiis Budæ novæ inter montes Pilifios ac Danubium ad XL. Stadia, ſeu bis mille paſſus intercepta Buda vetere porrigitur) *cum mœnium ſeu aggerum, tum ædificiorum monimenta. Modico terræ motu, vel refoſſis aliquantum parietinarum, quæ detectæ jam ſunt, fundamentis; hic numi veteres, alibi inſigniti literulis lapides, ac laterculi, itemque Deorum Dearumque ſimulacra, & id genus alia eruuntur. Monſtrabantur nobis numi Auguſti, Tiberii, aliorum ad Valentiniani fere ætatem, quod indicio nobis erat, quibus temporibus, cujusque Stipendio Legio Auxiliatrix iſthic meruerit.* Reliqua item, quæcunque de Sicambria hic poſita vir hic eruditiſſi-

a) ibid. §. XIII.

tiſſimus, deque patria hiſtoria optime meritus diſceptat, ſi rite ſpectentur, atque attente invicem omnia conferantur; ex omnibus nil aliud colligere poſſis, quam ut nunc illum ab *Aquinco*, nunc a Sicambria ſtare opineris, mox ab utroque: ita uti primum iisdem in ruderibus *Aquincum*, hoc poſtea a Valentiniani morte deleto, *Sicambriam* ponat: tum utramque civitatem eodem tempore, hanc nempe ubi nunc *Buda vetus*, illam ubi *Buda nova* floret, locare non dubitet. Verbo: ita de *Sicambria* agit, ut illam quidem propter Lapidem illum Bonfinianum in Budæ veteris ſolo ſtetiſſe perveſit, quamvis ubi, aut quando id fieri potuerit, quo ſibi perſvadeat, nihil ſolidi reperiat.

Fluctuationem haud minorem in celeberrimo Lazio deprehendere licet, ſi perlegantur ea, quæ de Sicambris ac Sicambria tum in Commentario Reip: Rom. tum in libro de migratione Gentium, tum demum quæ in Vienneſi Chronico ſcribit. Ipſe quippe modo Herculejam ſive caſtra ad Herculem, modo Sicambriam in vetere Buda locat, ac poſtea *a*) ita decidit, ut Herculiam primum, atque hac poſtmodum per Quadorum, Sarmatarumque incur-

a) Comment. Reip. Rom. L. XII. c. 12.

curſiones diruta, Sicambriam extructam fuiſſe perſuadere velit: quod ipſum mox iterum in ambiguo relinquit, ſolique Sicambriæ propter inſcriptionem ex Bonfinio exſcriptam, mentionemque Sicambriæ in Chron. Hung. atque apud Urſpergenſem deprehenſam favet.

Verum juvat ipſum audire Lazium, utpote unum ex omnibus acerrimum *Sicambriæ* patronum ac defenſorem. „ Superſunt, inquit, ad„ huc veteris Budæ, ubi *Sicambriam* fuiſſe di„ ctum eſt, veſtigia, haud procul a nova Bu„ da, e regione inſulæ Divæ Margarethæ. „ Non enim ſolum inſcriptiones iſthic Roma„ næ innumeræ (quæ magna ſunt parte no„ vam Budam tranſvectæ, ædificiorumque rui„ næ ſuperſunt, ſed pagus adhuc proximus, „ vetus nomen Sicambriæ retinuit, tametſi bar„ bare *Schambry* A) Hungari appellent, &

A) Forte pagus iſte, quem Budæ veteri proximum ſuo Lazius tempore (editi ſunt ejus commentarii de Rep. Rom. ann. 1548) ab Hungaris *Schambry* vocitatum ſcribit, idem eſt, qui *Sambék* modo; ſeu pronunciatione Hungarica *Schambik* dicitur: eſt enim quædam vocum affinitas. Pagus hic non magno adeo intervallo in occidentem a Buda veteri recedit; ejusque ſitus in tabula nova ſecundum *Samuelis Mikovini* obſervationes concinnata, quæ *Belianæ Geographiæ* inſeri ſolet, intra *Budam veterem* & *fanum S. Andreæ*, ad latus ponitur.

„ monumentum eo loco cum tali eſt inſcriptio„ ne repertum: LEGIO SICAMBRORVM „ HIC PRÆSIDIO &c. Ex qua inſcriptione „ liquet, *Sicambriam* inclinante jam Romano„ rum imperio, forte ſub *Valentiano ſecundo* „ fuiſſe conditam, ut ego reor, in ruinis ve„ teris municipii, vel prope illud, quod *Her*„ *culiam*, vel caſtra ad *Herculem* Antoninus „ appellat in ſupputatione itinerum a *Soppiano* „ Bregetionem, ab *Aquinco* Crumerum, & a „ Sopiano *Aquincum*, ubi & Gurſium ſive Cor„ ſium alio id nomine appellat. „

Qua ratione Lazius ex hac inſcriptione Legionis *Sicambrorum*, quam alias a Legione Adjutrice non diſtinguit, inferre poſſit, *Sicambriam* nonniſi inclinante Romanorum Imperio, ac præciſe ſub Valentiniano ſecundo conditam fuiſſe, equidem non video; ſiquidem, uti ſupra adnotavimus, hæc epigraphe nulla temporis nota ſignatur.

Quid autem inſuper ex Antonini ſupputatione itinerum idem Auctor exſculpat, quæ eodem loco ſequuntur, indicant. „ Si Antoni„ ni, ait, ſupputationem examinamus, plane „ *Herculiæ* ſitum in *Budam veterem* incidere vi-

„ de-

„ demus. Cujus nominis quia nulla omnino „ apud Ammianum mentio fit, cum tamen „ reliqua fere cuncta Pannoniæ muncipiorum „ nomina in hiſtoriam ſuam retulerit, ut ea „ vel ab Antonino vel a Ptolemæo ſunt & de- „ lineata ſitu, & nominibus dicta: veriſimile „ plane eſt, illud eodem tempore, hoc eſt, „ ſub *Juliano* & *Valentiniano* fuiſſe deſertum, „ a Quadis forte & Sarmatis deſtructum, quo- „ rum crebras in Pannonias is auctor incurſio- „ nes deſcribit, & a quibus *Carnuntum* ſimili- „ ter illam maximam Pannoniæ ſuperioris co- „ loniam deſolatam recenſet. Deinde vero „ cum *Sicambri* a Rheno (ubi & a Ptolemæo „ & a Tacito fuiſſe deſcribuntur) eſſent in Pan- „ noniam traducti, hoc eſt, Legio *Sicambro-* „ *rum* præſidio Pannoniæ inſtituta, uti habet „ *inſcriptio*, non extra rem erit, quantum licet „ ex inſcriptione colligere, *Sicambriam* crede- „ re municipium ab his militibus Pannoniæ in „ ſolo, cui præſidio erant adverſus Quados & „ Sarmatas Gothosque impoſiti, eſſe conſtru- „ ctam. „

Hucusque Lazius, e cujus poſtremis verbis ſatis, opinor, intelligitur, quicquid hoc loco de

de *Sicambria* diceret, id effoſſo illi Lapidi cum inſcriptione Legionis Sicambrorum ab ipſo inædificari. De quo quidem Lapide ac inſcriptione ſi recolantur ea, quæ jam diximus cap. præc. nihil eſt, quod nunc addamus.

Verum hæc pauca duntaxat quærere juvat: quo auctore? aut quonam ex monumento conſtat, ſub *Valentiniano II.* Sicambros a Rheno in Pannoniam traductos fuiſſe? Ptolemæus enim ac Tacitus Sicambros quidem ut Rheni accolas deſcribunt, verum ad Pannoniam eosdem veniſſe nuſpiam teſtantur; imo ſi tranſitus iſte non prius, quam ſub *Valentiniano II.* accidere debebat, teſtari nulla ratione poterant, qui illum tribus fere ſeculis præceſſere.

Quod autem Lazius hanc ſuam conjecturam vetere illa Francorum Hiſtoria, quam ex Urſpergenſi Abbate ibidem mox adducit, firmari ac ſtabiliri opinatur, næipſe in eo fallitur ut qui maxime. Hæc etenim ipſa hiſtoria complura Lazianæ narrationi contraria, atque, uti ajunt, e diametro oppoſita continet. Age enim: in ea legitur Sicambriæ civitas longe ante Valentinianum I condita; At Lazius eandem non prius quam ſub Valentiniano II. ædifica-

fica-

ficatam autumat. Ibi *Sicambri* poſt cladem a Valentiniano I. acceptam egreſſi de Sicambria in Thuringiam adpuliſſe dicuntur; Lazius vero eosdem non ex Thuringia, ſed *a Rheno* jam ſub Valentiniano II. illicet nempe a Valentiniani I. obitu in Pannoniam contra Quados, Sarmatas, Gothosque adducit, an reducit? Rurſus apud Urſpergenſem *Sicambri* ſub Valentiniano I. jam nomen mutaſſe, & ob audaciam *Franci* adpellati fuiſſe perhibentur; At Lazio adhuc ſub Valentiniano II. nomen *Sicambrorum* celebre extitiſſe, ac de hoc nomine civitas tunc ædificata *Sicambriæ* cognomen accepiſſe videtur. Adeo nempe nutant omnia, quæcunque Bonfiniano illi Saxo ac inſcriptioni *Sicambricæ* innituntur.

Alii, quemadmodum Chriſtophorus de Jordan *a*) ejusdem monumenti fidem nihil ſuſpectam habentes ita exiſtimant: Si hic locus, ajunt, a Sicambrorum præſidio *Sicambria* quondam dictus fuit, quemadmodum *Carnuntum* a præſidio *Carnorum* & *Liburnariorum*, & *Paſſavium* olim *Batava Caſtra* a præſidio *Batavorum*; id primis Auguſtorum ſeculis factum fuiſſe oportet propterea, quod *Sicambræ* gentis nomen

a) *De orig. Slav. II. P. Sect. 27.*

5) Monumenta hic reperta plerumque Legionem II. *Adjutricem* inſcriptam referunt, quam Notitia Imperii *Acinco* ad Danubium poſito adſignat. Rudera item tam longe lateque per plagam Budenſem diffuſa oſtendunt amplum aliquod, clarique Nominis Municipium hic eſſe inquirendum. E Scriptis autem veterum, ac potiſſimum e Notitia Imperii & Codice Præfecturarum colligitur inter ea municipia, quæ in hac Danubii parte (poſtremis Romanorum temporibus *Valeria Ripenſis* dicta) floruere, nullum *Acinco* aut majus aut clarius fuiſſe. Itinerarium ſcilicet Antonini quater *Acinci* meminit. Notitia Dignitatum ſæpius. Quo ex opere colligitur inſuper; *Acincum* frequens ac populoſum fuiſſe, quippe memorantur milites *Acincenſes*, ſeu *Acinco* lecti, qui ad Gallias evocati ſub Magiſtro equitum merebant: mentio quoque fit *Acincenſis Scutariæ*; id eſt, *Acinci* fabricabantur Scuta: quem in uſum neceſ-

ſternere volebant, is Cæſar SIGISMUNDUS erat, uti poſt Bonfinium Cl. GEORGIUS PRAY *ſubfin. L. IV. Annal.* adnotavit; ſed hujus quoque Principis conatum invida mors abrupit. Poſt tot igitur Seculorum revolutiones ea gloria primæ debebatur Magnæ THERESIÆ. Imperatrici ac Reginæ noſtræ, ut Regiis auſpiciis ac impendiis huic Danubii alveo, ſeptingentos fere paſſus lato, impoſitus pons ætatem ferret.

eſſe fuit peculiarem conſtructam hic fuiſſe fabricam. Dividebatur item *Acincum* in ſuperius & inferius; ut patet itidem ex Notitia Dignitatum Imperii Occidentis ab Erud. Pancirolo edita & commentariis illuſtrata: Siquidem lego Præfectum Legionis ſecundæ *Adjutricis* in ſuperiore *Acinci* parte cohorti tertiæ præfuiſſe, ibidemque auxilia vigilum, atque equites Dalmatas excubaſſe. A)

6) Demum ex inſcriptionibus quas ſupra retulimus, binæ ſunt, una videlicet *pag.* 160. *num.* 4. Epitaphium *Q. Aureliæ Martiæ* referens, altera *pag.* 188. *num.* 9. eaque votiva, in quibus literis AQ Aquinci mentio fieri videtur.

Atque hæc ſunt, ob quæ *Buda vetus*, ac forte pars major Budæ novæ in *Aquinci* ruderibus poſita eſſe merito credi poteſt. Ac mihi quidem in mentem venit iſtud præterea opinari, *Aquincum* primis mox temporibus a Ro-

A) Si quis conjecturæ locus; *Aquincum* ob Officinam quoque monetariam non incelebre fuiſſe ſuſpicor. Quid ſi enim literæ illæ: SMAQ vel PMAQ. quæ crebro inveniuntur in numis Imperatorum Diocletianum conſequentium, quorumque frequentiſſimi per Pannoniam eruuntur, quid ſi, inquam, hæ indicant *Signatam Monetam* AQ*uinci*, vel *Percuſſam Monetam* AQ*uinci*, non vero AQ*uilejæ*, uti hactenus exiſtimatum eſt?

Romanis dictum fuiſſe hoc municipium eo, quod *aquis calidis* iisque ſaluberrimis abundaret; ita enim ob eandem cauſſam vicum quoque (qui nunc *Badena* vocatur) olim *Aquas*, ſive *ad Aquas* Romanis rerum in Pannonia potientibus adpellatum fuiſſe opinantur eruditi. Immo ipſum forſitan *Budæ* nomen ab *Aquinci* adpellatione profluxerit. Cum enim in vetuſto Chronici Hung. MS. quod Viennæ adſervatur pro *Buda* legatur *Wbuda*, hæc autem vox ab Illyrico *Woda*, quod *Aquam* ſignificat, derivata videatur, pronum eſt credere idem quod Latini *Aquincum* dicebant, ab aliis eadem ſignificatione idiomate ſuo *Wodam*, *Wudam*, *Wbudam*, ac Denique Wmutato, ut fit, in ſolum B. Budam dici cœpiſſe. Et vero ex Notitia Imperii conſtat ſub occaſum Romani Imperii plagam hanc *Illyrico* adſcriptam fuiſſe, & *Aquinci* præter partem unam Legionis II. Adjutricis, etiam Alam Equitum Dalmatarum excubaſſe.

Equidem non ignoro a pleriſque patriis hiſtoricis de Budæ adpellatione longe alia perhiberi. At enim jam dudum alii quoque ea in dubium vocarunt, quæ iſti de nomine pri-

ſcæ huic civitati a *Buda* fratre *Attilæ* impoſito narrant. Nec locis enim, nec temporibus ea conveniunt. Immo, ut eſt in Excerptis Legationum, Priſcus Rhetor, Synchronus Attilæ ſcriptor, idemque Legati ad Attilam comes, fratrem Attilæ nunquam *Budæ*, ſed *Bledæ* nomine compellat: ipſamque Attilæ ſedem Regiam non ad *Danubium*, verum alio quopiam ad *Tibiſcum* loco deſcribit. Quæ tamen attingere hoc loco, non diſcutere propoſitum eſt nobis, quo ſcilicet vel hinc adpareat, quantum diligens antiquitatum Budenſium inveſtigatio, ſiquis eam porro ſuſciperet, tum ceteris artibus, ac ſcientiis, tum vel maxime Patriæ Hiſtoriæ allatura eſſet emolumenti.

O. A. M. D. G.

IN-

INDEX

Rerum præcipuarum quæ hoc opere continentur.

Numerus paginam ; *Litera* Notam adjectam indicat.

A

Acincum vel *Aquincum* Municipium Romanum : ejus mentio apud veteres Scriptores 228. Ejus rudera, ubi nunc Buda vetus 227. opinione Lazii in Cſepel inſula 229. A. Acincenſes milites 231. Acincenſis fabrica ſcutaria. *ibid.* vide *Aquincum.*

Agrippa thermas Romæ encauſto pingit. 13. Thermæ Agrippæ celebres 97. A. gratuita balnea præſtat 104. A. Ejus Aquæductus 51. A.

Alexander Severus Imp. mixta balnea vetat 74. Conſul cum Dione Lapidi Budæ reperto inſcriptus 177.

Alveoli teſtacei in monumento Budenſi. 29. eorum uſus. *ibid.* iidem vaporaria dicti *ibid.* & tubuli 30. interdum hypocauſta *ibid.*

Alveus quid in thermis 43. Ejus ſignificatio male intellecta a Cl. Robortello *ibid.*

Ambulationes hypæthræ in thermis 76.

Antoninianæ thermæ quam magnificæ 76. B.

Antonius prænomen Gordiani III. cur potius quam Antoninus 181. A.

Antoninus Pius. Ejus prænomina 174. & Seqq.

Aqua Virgo ab Agrippa deducta 51. Unde nomen Virgini. *ibid.*

Aquincum vide *Acincum.* ab aquarum calidarum copia & præſtantia videtur dictum. 233. prope illud Danubius ponte contabulato ſternitur juſſu Valentiniani I. 229.

Arenatum pavimenti quale in monumento Budenſi 3.

Aſaroton quale pavimenti genus. 8.

Attilæ Sedes Regia prope Tibiſcum. 234.

Auguſtale Collegium. 174.

Auguſtales in municipiis quem honoris gradum obtinebant 164. A.

INDEX

B

Babylonii in laterculis coctilibus notabant obſervationes ſiderum 108.

Baccii Elpidani liber VII. de thermis veterum 76. A.

Balneatori quæ merces apud Romanos conſtituta 103. A.

Balineum, *Balneum*, *Balneæ* & *Balineæ* unde ſic dictæ. 60. ornabantur pretioſis pavimentis 12 & *ſeq.* balnearum domicilia erant in ſuſpenſuris 22. 35. & ſeqq. balnei camera peculiaris, alias *Caldaria* dicta. 35. 63. in balneis frequentes tubuli teſtacei 31.

Balneæ Romanæ a thermis qui differunt? 75. Luxus Romanorum in balneis 87. frugalitas Scipionis Africani in balneo 87. balnea blactaria 88. balneum tollit laſſitudinem. 92. quatuor cauſſæ, ob quas licitum balneo uti. 92. 93. Romanis cur tam frequens balnei uſus. 93. quæ horæ conſuetæ balnei apud veteres Romanos? 94. & *ſeq.* balnearum privatarum & publicarum quantus olim Romæ numerus? 97. A. abuſus balnei 95. & *ſeq.* balnei Romani privati rudera intra vicum S. Petronellæ, ac vetus Teutoburgum reperta. 98. balneum Regium Sabarienſe. 97. Pruſenſe & Claudiopolitanum ſub Trajano Imp. refectum. *ibid.* balnearum ædificia ad ornatum civitatum. 59. balnea gratuita quando & quibus præſtita apud Romanos. 104. balneo uti an militibus quoque Romanis licuit. 130. A.

Belius. ejus opinio de Sicambria. 223.

Beſſi. eorum mos ducendi cuniculos ſub terra. 170.

Bonfinii opinio de Legione Sicambrorum. 223. Inſcriptio Legionis Sicambrorum, quæ ut conficta rejicitur. 206.

Bojonius Antonini Pii nomen nondum Auguſti. 175.

Bovinia Procilla avia materna Antonini Pii 175.

Breuci. populus Pannoniæ Saviæ 116. Cohors Breucorum 115.

Buda. in ea reperta rudera Laconici & Caldarii Romani 1. & ſeqq. inſcriptiones vetuſtæ in ea repertæ 158 & *ſeqq.* veſtigia Aquæductus Romani, & mœnia Præſidiorum. 217. Olim Aquincum vel Acincum municipium. 225. Nunquam Sicambria. 226.

Burgus vel *Burgum*, quæ ejus notio. 214.

C

Cajus Caligula balneum pretioſis unguentis imbuit 69.

Caldarium ſeu balneum camera peculiaris in thermis 35. 63.

Cam-

Digitized by Google

Campus Martius. in eo juventus Romana exercebatur. 67.
Capitolinus pes. 145. C.
Capſariorum munus in balneia. 65. quid de iis lege ſtatutum. *ibid.*
Caſtella aquarum fulciebantur pilia. 20.
Cavædium qui locus in thermis 86. B.
Centonariorum Collegium. 186.
Ceroma luctatorum quale. 91. A.
Ceroſtroton quale pavimenti genus. 9.
Cleas in tegulia notat offibus, quæ a Zenone audit. 109.
Codex unde dictus 109. A.
Colapiani populos Pannoniæ Savlæ. 116.
Collegia Fabrorum diverſorum. 169. A.
Colotianus pes. 144. A.
Coniſterium qui locus in thermis. 85.
Conſtantini M. nomen in tegulis templi Vaticani. 123.
Conſulum nomina cur alio quandoque ordine in vetuſtis inſcriptionibus, quam in Faſtis Conſularibus. 172. 173. A.
Cornutorum cohors inclinante imperio 166. unde ſic dicta. *ibid.*
Cryptoporticus quem in uſum Romanis 86. A.

D

Dactylodochme palmua minor. 134. 139.
Dadum Italia idem, quod latinis teſſera formæ cubicæ. 8.
Decuriones Municipiorum in quo honoris gradu. 175. A.
Diæta palatium in thermis 85. A.
Didoron laterculorum quale genus 143. 153. A
Doron palmus major ejuadem cum dodrante vel Spithama menſuræ. 136. 139. 141.
Dio Caſſius Conſul cum Severo Alexandro in lapidis inſcriptione. 177.
Diocletianæ thermæ 76. C. earum amplitudo. 89.
Dochme, palmus minor. 134. B. 139. 141.

Index

E.

Elæothęſion cella olearis in balneis. 68.

Ephebeum qui locus in thermis 83. quis ejus uſus. 84. A.

Epigenes teſtatur Babylonios conſueviſſe obſervationes aſtronomicas in tegulis adnotare 108. & ſeq.

Equi inter ſigna legionum Romanarum 179.

Etruſci balneum 22.

F

Fabrica Scutaris Acinci 231.

Fabrorum collegia 169. A & *ſeq.*

Fadianus pro Fabiano in vetuſta lapidis inſcriptione Cönſul cum Muciano 171 & ſeq.

Fictilia opera quanto in uſu apud Romanos 119. A.

Figlinæ notæ in tegulis Romanis non negligendæ antiquario 118. & *ſeq.*

Figulinæ numeris notatæ in tegulis Romanis 124. A.

Figulorum nomina in tegulis Romanis. 118.

Follis pila luſoria Romanis 90. B. *folliculum* minor pila 91.

Frigidarium cella in balneis. 66. Vas ejusdem nominis. 63.

Furni uſus apud veteres. 28.

G

Galenus cur expreſſam Apodyterii mentionem inter cetera balnei domicilia non facit 66. latiores & anguſtiores piſcinas diverſis vocabulis exprimit 67.

Geminarum Legionum adpellatio unde tracta. 201.

Gordiani III. inſcriptio vetuſta Budæ reperta 179. & *ſeq.* Ejusdem Stemma 181. A. Opinio de quatuor Gordianis onde orta 182. A.

Gothorum auxilia in exercitu Romano. 166.

Guttus ampulla pro oleo. 94.

Gymnaſia in thermis. 77.

H.

INDEX

H.

Hadrianus Imp. abuſum balnei mixti tollit. 74. Idem, antequam Auguſti titulo auctus eſſet, creatur à Trajano Tribunus Legionis II. Adjutricis. 113. A.

Harpaſtum pilæ luſoriæ genus 91. C.

Heliogabalus piſcinas, in quibus lavaretur, croco & pretioſis unguentis imbuit. 69.

Hypæthræ ambulationes aliter ſubdiales. 80.

Hypocauſti Structura. 70. pars hypocauſti peculiaris; cui Vaſa miliaria impoſita erant. 72. & ſeq.

I.

Iazyges Antonino Pio terrorem incutiunt. 191. A.

Inſcriptiones lapidum Romanæ Budæ repertæ a 158. ad 189.

Inſulæ nomine quid veteres intellexere. 30.

Intercolumnium quale in monumento Budenſi. 14. & *ſeqq.*

Inventio pilæ luſoriæ Lydis attribuitur. 90. A.

Julianus Arrianus cum Æmilio Papo Conſul. 159.

Julius Cæſar teſſellata & Sectilia pavimenta circumtulit. 6. Idem Legionem Alaudam inſtituit. 197. B.

L.

Labrum quid in balneo. 44. 56. quæ Scholæ labrorum? 44. & *ſeqq.*

Laconicum pars balnearum apud veteres 35. & *ſeqq.* unde ſic dictum. 53. diſtinctom a Sudatione concamerata 55. & *ſeqq.* teſtimonia veterum de Laconico. 51. & *ſeqq.* Laconicum aliter Sudatorium 53. naturale vel artificiale 52. A.

Laconici forma ac ſtructura 55. & *ſeqq.* Laconicum Sodationesque conjungendas Tepidario qoo ſenſu apud Victrovium 56. & *ſeqq.* in Laconicis intenſior calor, qoam in concamerata Sodatione 58.

Laconicum Budenſe quo loco ſteterit. 59. Hujus cum Piſana ſudatione & Laconico collatio. 39. & *ſeqq.* Unde colligi poteſt eo loco Laconicum & quædam balnearum domicilia qoondam ſtetiſſe 35. & *ſeqq.* 39. & *ſeqq.* Laconicum Agrippæ. 53.

La-

INDEX

Laterculus Legionis II. Adjutricis nomine, & figura plantæ pedis ſimili ſignatus 107. & *ſeqq.* antiquiſſimus mos ſignandi lateres characteribus 108. iis legionum nomina apud Romanos inſcribi ſolebant. 109.

Laterculi nomine apud veteres Romanos intelligebatur libellus vel codex dignitatum. 109. A. laterculi græcis plinthi 110.

Lateres Signati nomine Principum, Conſtantini M. Theodorici Regis Italiæ, & Lodovici I. Regis Hungariæ. 121. & *ſeq.* Lateres forma circulari ſignati. 123. & *ſeqq.* Conſulum nominibus inſcripti 123. laterculo planta pedis impreſſa 131. Laterum magnitudo ad menſuram pedum & palmorum effingebatur 143. Lateres beſſales, ſesquipedales, dupondii, didori, tetradori, pentadori. 143. 152. & 154. A. lateres optimi qui fiunt. 33. B.

Lateritium opus quanto in uſu apud Romanos. 119. 123. apud Hungaros ſub Ludovico I. 122. A.

Laticlavius Tribunus. 159.

Lazius. ex ejus Comment. de Rep. Rom. inſcriptiones Budæ inventæ 184. & ſeqq. quater eandem inſcriptionem variat. 188. Legiones Adjutrices primam & ſecundam nonniſi ſub Trajano in Pannoniam traductas putat 192. refellitur. 193. & *ſeqq.* Legiones has Adjutrices putat e Sicambris coaluiſſe. 198 A. refellitur. 199. & *ſeqq.* Budam in Sicambriæ rudetibus ſitam opinatur. 221. refellitur. 224.

Legatio votiva. 185. *Legatorum* varia genera fuerunt 285.

Legatus Auguſtalis. 164. A.

Legio. Romanarum Legionum nomina tegulis inſcripta. 110. 117. Legio II. Adjutrix notis figlinis inſcripta in laterculis Budæ repertis. 107. 110. 115. Ejusdem nomen in numis. 115.

Legio II. Adjutrix ad Budenſem Danubii ripam quanto tempore ſtativa habuerit. 190. Ejusdem legionis nomina ac tituli. 198. Eadem non fuit legio Sicambrorum; ſed civium Romanorum 199. & *ſeqq.*

Legionum Romanarum nomina quot generum fuerint. 196. quæ legiones *Alaudæ* dictæ. 197. Legionis fulminatricis mentio jam ante Antoninum Pium. 200. & ſeq. A.

Legionum Romanarum nomina a Dione recenſita. 199. & ſeqq. earum ſigna varia. 179. Legiones duæ efficiebant exercitum unum conſularem. 196. A. quot capitibus conſtabat Legio. *ibid.*

Lichas quæ palmi ſpecies 138. & *ſeqq.*

Li-

INDEX

Lithoſtroton quod pavimenti genus. 7. quando apud Romanos in uſu eſſe cœpit. 6. an inter lithoſtrota & ſectilia diſcrimen faciendum 6. *& ſeq.*

Ludovicus I. Rex Hungariæ. hujus nomen & effigies forma ſigillari in tegula expreſſum. 122. Lateritii operis curam peculiarem habuiſſe videtur. 122. A.

M.

Martia. duæ legiones Romanæ ob audaciam Martiæ dictæ. 196.

Maximinus Aug. antea a Gordiano III. Tribunus Laticlavius creatus. 159. A.

Maximus & Paternus Conſules in tubo fictili inſcripti. 128.

Menſores quinam apud Romanos. 158. A.

Menſura palmi & ſemipalmi in laterculo expreſſa. 142.

Miliaria vaſa quænam in balneis. 63.

Monomixi lychni penſiles in balneis. 63.

Montes Bajani. in his Sudatoria natura facta. 52.

Monumentum Budenſe cum Piſana ſudatione confertur. 39. Monumentis & inſcriptionibus quanta fides habenda. 210.

Mucianus & Fabianus Conſules in Lapide Budæ reperto 169.

Muſivum, Amuſſeatum, Moſaicum quale opus 8. 10. an a ſegmentato diſtinctum 11. quando cœperit apud Romanos. 12.

N.

Nariſci populus Germaniæ antiquæ 191. A.

Natatio locus peculiaris in balneis 66. 82.

Nero Imp. Legionem I. Italicam inſtituit. 202. Neronis Naumachia 67.

Nichiæ ſtatuæ parvæ ſuis in ædiculis poſitæ. 21. A.

Niger & Camerinus Conſules forma circulari in laterculo notati. 126.

Nonnius Mucianus. 171.

Notæ figlinæ non negligendæ antiquitatum ſtudioſo. 118. *& ſeq.* Exempla notarum figlinarum in laterculis 124. *& ſeqq.* in tubis fictilibus aquæductuum Romanorum. 128.

Numi veteres. Philippi Aug. 101. Gallieni 115. A. Antonii Triumviri numi conſulares legionum nomine inſcripti. 197.

INDEX

Numi Pacatiani qui confiċti, ſinterive. 125. A.
Nympha. hujus figura in ſaxo Budæ reperto. 168.

O.

Octava legio Auguſta in Germania ſuperiore hybernabat. 200.
Octavii Falconerii opinio de Conſulum duorum ordine alio in tegulis ac lapidibus quam in faſtis. 123.
Olearia cella eadem tonſtrinæ locus in thermis. 68.
Opus doliare tegulis Inſcriptum Romanis. 123. & *ſeqq.*
Orthodoron quæ palmi ſpecies. 138.
Otacilia. Marcia Otacilia Severa Matrona Chriſtiana Philippi Auguſti, vulgo Arabis, Conjux 105.

P.

Pacuvii ſepulcrum denſa columna fultum 17.
Palæſte palmus minor 134.
Palmus antiquus, ejus etymologia. 152. A. ejus ad pedem antiquum Romanum ratio 132. & *ſeq.* Variæ palmorum ſpecies apud veteres 133. & ſeqq. 139.
Palmus major male definitus a Roberto Cenali 135. 138. de majore veterum palmo Villalpandi ſententia. 137.
Palmus maximus græcis ſpithame, & Doron. 139. 150. 153. A. longitudo palmi maximi canaliculo expreſſa in Latere coctili Budæ reperto 142. & *ſeqq.*
Paries Romanus: a latericio teſtaceus quomodo diſtinguendus 33. A. de parietibus latericiis doctrina Plinii. 33. B. quinam parietes formacei veteribus dicti. 33. C.
Partes præcipuæ monumenti Budenſis recens inventi. 2. & *ſeqq.*
Pavimentum Romanum. duplex in monumento Budenſi. 1. & *ſeqq.* onum conſtat triplici ſtrato. *ibid.* Bacchi effigies opere muſivo expreſſa in pavimento e Solo Britannico eruto. 4.
Pavimentorum varia apud veteres genera. 6. & ſeqq. Lithoſtroton, ſectile, teſſellatum. *ibid* & *ſeqq.* *Aſarotum* 8. Ceroſtrotum. 9. Muſivum 10. ſegmentatum. *ibid.* in pavimentis ſtruendis Romanorum magnificentia. 12. & *ſeqq.* pavimentis pretioſis interdum orna-

nabantur ſepulcra. 13. item balneæ. *ibid.* porticus. 21. pavimentorum primi inventores Pœni. 21.

Pes Romanos antiquos. Colotianus. 144. A. *& ſeq.* Statilianus 145. A. *& ſeq.* Pætianus. 145. B. *& ſeq.* Capitolinus. 145. *& ſeq.* Villalpandi e Congio Veſpaſiani deſumptus. 145. Cur pedis Romani longitudo exacte nequeat in libris exhiberi. 149. A.

Philippi Junioris Numus 102. Ejus triſte ingenium 105. Interitus cum patre. 106.

Pila ſeu fulcrum; duplex 14. pilarum ſeu columnarum brevium numerus in monumento Budenſi 14. quodnam pilarum genus *ſtellas lapideas* vocat Plinius. *ibid.* adhibebantur ſepulcris. 17. ornabant porticus 21. fulciebant aquæductus. 20. ſuſtentabant hypocauſta in balneis. 22. *& ſeqq.*

Pila luſoria. cui attribuitur ejus inventio. 90. A. inventor pilæ vitreæ. 92. B. varia pilarum nomina. 90. B. follis, folliculum. *ibid.* pila paganica. 91. C. harpaſtum. *ibid.* B. pila picea, ſeu glomus pice illitus cui uſui in balneis. 23. *& ſeq.*

Pii cognomen unde Gordiano III. 181.

Pilicrepus & pelicrepus quo ſenſu apud Senecam. 23. A.

Piſanum Laconicum, ejusque comparatio cum Budenſi. 39. *& ſeqq.*

Planta pedis laterculo Romano impreſſa. 131.

Platanon, ſeu platanetum qui locus in thermis. 80. B.

Plinius de lateribus didoris, tetradoris, pentadoris explicatur. 152. & 153. A.

Pluteus apud Vitruvium quo ſenſu accipiendus. 44.

Pœni inventores pavimentorum. 5.

Porticus Gordianorum 21. quam variæ in thermis 85. *& ſeq.*

Præfurnium quale in monumento Budenſi. 27. ad latera præfurnii balneatorum habitacula 29.

Propigneum qui locus in thermis. 27.

Pruſenſe balneum. 99.

Q.

Quadi. adverſus hos Valentinianus I. exercitum ponte contabulato per Danubium prope Aquincum ducit. 229. *& ſeq.*

 Qua-

Quadrans quarta pars aſſis, aliter teruncius 104. A.
Quinquennalis Magiſtratus Decurionum in municipiis 170.

R.

Rhætica legio diſcernenda a legione Rhætorum ſive Rhætiorum 204. A.
Romani primi vias publicas extra urbem lapidibus ſtraverunt. 5. & *ſeq.*
Rudera vetuſti ædificii Romani Bodæ reperti. 1. & ſeqq.

S.

Salientes quotnam Agrippa Romæ curaverit 171. A.
Saxorum inſcriptiones a pag. 158. ad 189.
Scholæ labri alveique quales apud Victruvium. 61. & *ſeq.*
Schola ſpeculatorum refecta. 163. A.
Scipionis Africani frugalitas in balneo. 87.
Scutula, *ſcutriſcum*. quæ hujus notio. 7. A.
Sepulcra veterum ornabantur quandoque pavimentis 12.
Sicambra cohors in Thracia adverſos Rhœmetalcen præſto eſt Romanis 203.
Sicambri nullam conſtituebant legionem civium Romanorum 203.
Sicambria civitas opinione quorundam, ubi nunc Buda vetus.
Sicambrorum Legionis inſcriptio rejicitur ut conficta. 207. & *ſeqq.*
Sicambrorum Legio non eadem, quæ prima vel ſecunda Adjutrix 199. 204. & *ſeq.*
Silanus apud veteres forma lapidea, & imago, ex quibus aquæ ſaliebant. 176. A. item: aqua e tubo ſaliens nomen ſilani habebat. *ibid.*
Speculatores apud priſcos Romanos quod genus hominum. 163. A. *ſeqq.*
Sphæriſterium qui locus in thermis. 79.
Spithama eadem græcis menſura, quæ latinis dodrans. 139.
Stellæ lapideæ quale colomnarum genus. 14.
Statilianus pes 145. A.
Statii Papinii locus obſcurus illuſtratur. 23. & *ſeqq.*
Stativa legionum Romanarum duplicis generis. 190. A.

Strigilis quale inſtrumentum in balneo 93.

Stuba unde dicta? 31.

T.

Tabulatus pons ſuper Danubium a Valentiniano conſtructus. 229.

Tegulæ Romanæ notis figlinis ſignatæ. 119. & *ſeq.* vide, *Laterculus*.

Tepidarium. Camera balnei 66. item Vas ahenum ejusdem nominis 63. & 73.

Teruncius quarta pars aſſis, tribus unciis æquipollens. 104. non confundendus cum triente *ibid.* A.

Theatridium quæ pars thermarum 77. & *ſeq.*

Theodoricus Rex in tegula inſcriptus 121.

Thermæ a balneis quomodo differunt. 75. quantum ſpatii capiebant. 75. 77. c. & 89. thermarum partes præcipuæ. 76. & *ſeqq.* Antoninianæ 75. B. Diocletianæ 76. & ſeq. C. Thermis jungebantur palæſtræ & gymnaſia. 81. Thermæ Saklenenſes in Hungaria, in quibus ſudatorium natura factum 52. A. plura vide vocabulo: *balneum*.

Tina quid antiquis dicebatur. 61.

Topbach palmus hebræorum 132. A. *Topbach* Sschag palmus major. 137.

Tribunus Laticlavius 150.

Trigona pila unde ſic dicta 92. A.

Tullii pro Silanis 170. A.

V.

Vaillantii opinio de anno, quo Philippus Junior dici Auguſtus cœpit. 106.

Vaporaria in Budenſi monumento. 29. eorum uſus. 31.

Vaſa miliaria ſuper hypocauſto. 63.

Veſpaſianus Imp. Legionem II. Adjutricem in Pannonia inferiore inſtituit. 195.

Veterani Romanorum qui dicebantur. 161. B.

Victruvii obſcuriora dicta illuſtrantur 25. 154. A.

Villalpandus Spithamam recte palmum majorem vocat. 153. A.

Unguentorum a Romanis inventorum nomina. 70.
Uncia ſeu pollex quam rationem ad digitum habeat. 141.
Urbanæ legiones Romanorum. 195.
Urſpergenſis Abbatis fabuloſa narratio de Sicambria. 208.

X.

Xeniæ thermæ veterum. 86.
Xiphilinus Dionem reprehendit, quod legionis fulminatricis in rebus Auguſti meminit. 200.
Xyſtum & *Xyſtus* qua ratione diſtingui debeant. 80.

Z.

Zabulus pro Diabolo. 83. A.
Zereth hebræorum palmus major, qui græcis Spithame. 137.
Zeta, *Zetula* conclave ad delicias, pro Diæta ponitur 83. A.

Er-

Digitized by Google

Errata			Corrige.
Pag. 8.	*Lin.* 21.	in formæ	in formas.
14	16.	σύλοι	ςύλοι.
23	20.	iilitas.	ilitas.
28	1.	non congrue.	non incongrue.
47	9.	infe us.	inferius.
52	30.	exavata.	excavata.
83	19.	tidon.	Sidon.
ibid.	20.	Sranſitus	tranſitus.
110	9.	*poſt* Ulpia *adde.*	vel Valeria
140	13.	quid.	quod.
166	8.	Valentiani.	Valentiniani.
170	9.	Beſſarum.	Beſſorum.
186	16.	*poſt* PAVLI *adde.*	P.P. LEG. II. AD.

VA1 1541517

Digitized by Google






Fig. 1. *Intercolumnii ſu*
arcua concamer
C E F D. Spati
dratæ e latercul
Fig. 2. *Orthographia ej*
plex pavimenti ſ
ſuppoſitarum.
Fig. 3. 1. Schema pilæ
Fig. 4. Forma tubuli teſ

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google





NAPOLI

Digitized by Google